



SIGILLUM COLLEGII COLUMBIÆ NOVI EBORACI
IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN
1754.

A. Schultens. Dictata in antiquitates Hebraicus.
Not edited.

Loaned of the Library of Temple Emanu-El.

SCHULTENS, A., Dictata in antiquitates Hebraicus. 258 SS. 4°. Hlbfrzbd. — *Unedirt.* [5190]
Sehr schön geschrieben. — Enthält: de Tabernaculo; de Synagogis; de pontifice maximo; de Urim et Tummim; de cultu pontif. die expiationi; de Synedrio magno; de esu carnium ante diluvium; de ritu sacrificandi; de impositione manuum; de anno paschali; de voto Jephtae etc. etc.

DICTATA

Viri Cl. ALBERTI SCHULTENS

in

Antiquitates Hebraicas.

Prolopus.

Antequam vobis Systhema Antiquitatum Hebraicarum tradere inciperem, visum mihi est, vos aliqua Praefatiuncula imbuere: ut sciatis, quousque vobis hoc in negotio progredi liceat. Sunt enim, qui leviter, et superficiarie dumtaxat imbuti notitia Antiquitatum Hebraearum, eousque temeritatis et audaciae procedunt, ut quidvis ex quovis imprudenter extundant: quin in ipsis jam Sacris Suggestibus audacter effutiant, quidquid ipsis ad buccam venit: atque ita humeris aliorum grave ac molestum imponant Onus. Scitote imprimis, tres esse Fontes Antiquitatum Hebraearum diversos, gradibusque distinctos.

1. Isque limpidissimus, est Sacra Scriptura: unde quidquid, vel expresse ac directe; vel per evidentissimam ac immediatam Consequentiam, colligitur, pro certo & indubitato habendum

II. Sed jam Auctoritate Humana perturbatus, superest in Scriptis Josephi, et Philonis Judaei: qui quoniam in iis vixerunt temporibus, in quibus res Judaeorum utcunque florebant, nonnulla certiora de Caerimoniis Judaeorum nos docere poterunt. Sed tamen quoniam et ipsi communi Gentis errore infecti fuerint, judicio

Critico

opus est Critico, & Examine accurato, ad fidem Scriptis illorum dandam: nec quidquam, nisi cum Analogia Sacrae Scripturae apprime consentiat, in illis temere admittendum ac adsumendum.

III. Multa faece horridus ac squallens reperitur in Talmud Judaeorum, altero Babylonico, Hierosolymitano altero: utroque farragine Superstitionum, Nugarum nugacissimarum, & Mendaciorum turpissimorum, ad nauseam usque tumescente. Mire tamen Viros Doctos hicce fons divisit. Quippe

א. Sunt quidem, qui in Antiquitatibus Hebraeorum exponendis ad nomen Talmudis, cumuli quippe tantarum Nugarum, adeo perhorrescant, ut Cane pejus et Angue fugiant, censeantque, hoc in negotio unice recurrendum esse ad S. Scripturam. Quum contra

ב. Alii contendant impudenter, satius esse consulendos Talmudistas: Res enim gestas, Ritus ac Mores, certius ex Scriptoribus cujusque Gentis posse hauriri.

Verum viderint hi, ne nimium fallantur. Addi utique debet temperamentum huic Sententiae. Nec enim Salustio, Livio, aliisque Rerum Latinarum Scriptoribus continuo temere fides danda est, nisi aliunde satis constet, unde Historias suas consarcinaverint, si non coëtanei fuerint, et candidi quidem, nec errore Gentis suae detenti. Similiter Historicis Graecorum tamdiu non est credendum, quamdiu non certo constiterit de fide ac aetate illorum. Ut autem sciatis, quid nomine Tal-

mudis

nomine Talmudis intelligatur, res paulo altius repetenda est. תַּלְמוּד ex vi et indole vocis significat Doctrinam, eamque potissimum Ore traditam. Contendunt Iudaei, Legem per se esse mortuam: adeoque ipsum Talmud esse ejus Spiritum ac animam. Fingunt hi impudenter, Mosen praeter Legem ipsam in monte Sinai accepisse aliamquoque Institutionem Oralem a Deo, sive Explicationem Legis: eamque mox tradidisse Aaroni: repetiisse autem coram Israële in Deuteronomio ante mortem suam, una cum Lege. Haec eadem Oralis Doctrina tandem post Obitum Mosis devenisset ad Iosuam, magnum illum Depositarium Traditionis Mosaicae. Ab eo autem post longas demum circulationes ad Esdram, magnum pariter Traditionis illius Conservatorem. Hinc tandem ad Simeonem, illum, cujus mentio creditur esse in Evangelio: atque Gamalielem, Sapientissimum Paulli Apostoli Praeceptorem. Atque huc usque ex mente Rabbinorum Ore tradebatur haec ipsa Institutio, sive Explicatio Legis: at mox, ubi viderent Iudaei, res suas sensim in pejus delapsuras, magisque in dies pessum ituras, surrexit tandem Rabbi Iuda, scilicet ille הַקָּדוֹשׁ, ad quem devoluta erat omnis ista Traditio, Scriptoque eam consignare suscepit: quam proinde Judaei mox Misnam vocare inceptarunt, cui tandem accessit Gemara, scilicet Complementum illius Traditionis, continens farraginem omnium Disputationum Rabbinicarum, cui per omnia

respondent stramentitiae illae ac rixosae Scholastico-rum Disputationes inter Christianos, Seculo X. inchoari coeptae, durantesque propemodum usque seculum XIV. post C.N. Sentitis jam A.A. in expositione Antiquitatum Hebraearum quousque progredi liceat. Nihil hic admittendum temere, nisi id cum S. Scriptura, ejusque Analogia examussim conveniat. Verum de his breviter haec monuisse in praesentia sufficiat. Qui plura de his legere cupit, adeat Authores illos, qui Materiam hancce ex professo pertractarunt, quos inter memorandus Jo. Leusdenius in Philol. Hebr. De hac Materia.

INGRESSUS.

Nos interim Rem ipsam adgrediamur. Ubi in antecessum monendum habeo, nos in hoc Cursu selectum quendam Materiarum suscipere, aliterque paululum Cursum nostrum instituere, ac superioribus Annis, completius scilicet daturi Systema Antiquitatum Hebraearum. Neque tamen omnia necesse fuerit pertractasse, in quibus nimirum Auctor noster satis accuratam praestitit operam. Quapropter tangimus nunc Res tantum, ab Auctore nostro, vel etiam aliis, non satis recte, aut saltem obscurius, traditas, ac deductas. Ad quam rationem segr.

LIBER I.
DE
LOCIS SACRIS.
CAPUT III.
DE
TABERNACULO.
§. I.

Caeremoniarum Veterum Mosaicarum meditullium, in quod omnia, tanquam in commune Centrum, collineabant, fuit TABERNACULUM, jussu Dei in Deserto constructum, ut esset Symbolum Visibile Dei, in Israële inhabitantis, atque Populum suum foederatum suis Legibus regentis, suis Auspiciis ducentis, atque Protectione defendentis, et deducentis in possessionem Terrae Promissae. Huc tendunt diversae illae Appellationes, quas §. nostra attingit: quarumque

A. Est אוהל מועד Tentorium Conventus, quatenus nempe erat sedes communis Religionis.

B. Est העדות — Habitaculum Testimonii, sive Tabernaculum, in quo Summum Numen nempe residebat, tanquam Dux et Imperator sui Populi, qui Signum potentissimae suae Majestatis ibi collocavit, שְׁכִנָּה

ab ead

ab eadem radice שכן inhabitavit, vel resedit, tracto Vocabulo, quod proinde Residentiam, vel Inhabitationem sonat.

C. Est משכנות Palatium, quae ducit ad eamdem ferme considerationem Regis, Majestate sua praesentissima Populum suum honorantis, ac condecorantis.

D. Denique est אהל Sacrarium, per quod insinuatur Sacratissima Potentia et Coelestis Virtus, omnis illius Apparatus Externi, qui Interna, Mystica, & Coelestia Bona ac Dona Gratiae expingeret, atque repraesentaret.

Hoc jam SSanctum Domicilium Israëlis cum Mysteriis Religionis ac Fidei, ejus ambitu et exteriore adspectu comprehensis, ut cum fructu ingrediamur, atque certos per illud gressus, firmos et fideles Oculos circumferamus; discutienda nobis atque diligenter expendenda Quaestio est, tum circa ejus Originem, tum circa genuinum ejus Scopum. Qui enim non adeo magnifice sentiunt de Caerimoniis Mosaicis, iisque Spiritualem vim ac potentiam lubenter detraherent, contendunt: Tabernaculum illud non tam conditum ac instructum fuisse Jussu Dei, et Fine altioris Sapientiae; quam quidem Permissione, se se accommodante ad rudiorem Captum illius Seculi et Populi, qui adsuetus externis Ritibus sine iis non potuisset in Officio contineri, atque ad Veram ac solidam Religionem traduci.

P. Spi

α. Cl. Spencerus imprimis hisce insistens Vestigiis; magno Eruditionis conatu, Originem unice repetendam esse ex Imitatione Aegyptiorum, quorum moribus inde a teneris adhaeserant Hebraei. Hoc, ut per Universum Opus suum De Legib. Hebr. inculcat; ita specialius adhuc probandum suscipit Lib. III. Dissert. I. Cap. III. ubi inter ea Sacra, quae Israëlitae ab Aegyptiis derivarint, atque ex Imitatione praesertim Aegyptiorum transsumserint, principe loco constituit Tentorium illud Portatile, in quo Deus ambulare, et quasi circumferri, non dedignatus fuerit. Ita autem hancce Hypothesin suam coloribus quibusdam mollire pergit, quod per συγκατάβασιν sive Accommodationem quamdam stupendam ita Deus succurrere voluerit ruditati longo usu confirmatae. Quum enim Aegyptiis, aliisque Gentibus, in more fuisset, Deorum Imagines, aut Eorum Symbola, in Templis, Aediculis, aut Tentoriis collocata circumferre: partim, ut Eos singulari Honore prosequerentur, partim; ut Eosdem haberent individuos Viarum et Periculorum Comites: commodissimum Deo visum fuisse, sese ad hunc Seculi morem, et modulum, demittere, etc.

β. Male firmam, et nutantem Hypothesin adstruere laboravit V. D. ex Amos. V. 25, 26. An mihi Sacrificia et Oblationes adduxistis XL. annis in Deserto, o Domus Israël! immo vero portastis Tabernaculum Molochi vestri, et sculptarum Imaginum vestrarum. In quo

Oracu

Oraculo, ad mentem suam contorquendo, postquam satis egisset, hanc Summam colligit: Perspicuum esse ex Verbis illis, Idololatras antiquiores Molochum aliosque Deos, suos, non tantum in Tabernaculis adorasse; sed etiam in iisdem circumferre solitos fuisse: ac propterea dubitari non posse, quin Propheta jam objiciat Israëlitis; totum illum Apparatum Tabernaculi Mosaici non ex Voluntate Dei profectum sed ex ipsorum Cupiditate, et malesana Consvetudine ad quam se se benigne adcommodaverit Deus.

Hoc Systhema Spencerianum fermè recipitur ab omnibus iis, qui Oeconomiam Vet. Testamenti. Terrae et Terrestribus Bonis adligant, atque cognitionem Vitae aeternae & spem Immortalitatis beatae, Oeconomiae tantum Novae competere disputant. Quamvis et multi ex Nostris, non quidem in totum subscribant Spencero, sed in parte ei accedant, quum ita ratiocinantur: Non satis tutum esse Evangelicas Veritates ex Umbris Mosaicis exsculpere, quae, vel nullae ibi latuerint; vel saltem non tam magnifice fuerint, ut inde aliquid ad Religionem possit redundare Christianam. Omnium autem calculus ita fermè subducitur.

aa. Hebraeos fuisse Nationem longa Servitute obstupefactam

bb. Proinde addictam erasse atque Externis tantum Ritibus.

cc. Quin

cc. Quin in Idololatriam pronissimos. Ergo ipsis

dd. Crepundia veluti Infantum fuisse danda, quibus ab Idololatria abstraherentur. Denique

ee. Haud satis dignum Divinis Veritatibus, quas Euangelium revelavit, ut eas sub hisce Involucris contentas statuamus.

Hae ratiocinationes si valeant, jam Oeconomiae Melioris fundamenta Spiritualia concuti poterunt. Etenim Gentiles aeque ad Mysteria Fidei Christianae stupebant, & crassis praejudiciis obsessi erant, quin magis adhuc projecti ad omnem Idololatriam. Magis ergo se se ad eorum captum accommodare debuisset Novi Testmi. Conditor: atque consimiliter Religionis proram et puppim in Caerimoniis, quibus Gentes adsueverant, collocare: ne, quemadmodum demum eventus demonstravit, Christi Crux Scandalum foret Judaeis, et Stultitia Gentibus. Ex hac Inductione et Retorsione, quivis facile intelliget,

NN. Rationem Cultus Mosaici externis Caerimoniis ac Elementis Mundi non esse adligatam Conditioni Hominum nimis aptae: sed unice sitam in Libera Dei Voluntate, et in ratione Temporum, Graduumque, quibus Deus Gratiam Coelestem, et Lucem Veritatis dispensare, atque cum Hominibus communicare decreverit.

§§. Illa Gratia in Paradiso primum promulgata, luculentis deinceps Promissionibus confirmata,

atque

atque uberius declarata, fuerat, ad spem, fidemque Sanctorum, in semen promissum enutriendam.

§§. Eandem Expectationem Maximi Liberatoris expressioribus adhuc Typis et Figuris adumbrare, et Coloribus convenientissimis praepingere, placuit Deo, quum Posteritatem Abrahae ex Aegyptiaca Servitute liberatam ac vindicatam, Sibi in Regale Sacerdotium, in Gentem Sanctam, in Populum Adquisitionis, סגלה vel potius Peculii signatissimi, Sigillo Coelestis Proprietatis impressi, atque consignati, Exod. XIX. 5, 6. In cujus medio habitaret, ac ambulare vellet, eamdemque imbuere ac praeparare ad amplissimam et uberrimam Bonorum Coelestium possessionem. In quam per Messiam aliquando immitti deberent veri Israëlitae, et Spiritualis Abrahami posteritas, 1 Pet. II. 9, 10.

§§. Si ergo prisci illi Israëlitae rudiores erant, par erat, ut Divinitus erudirentur. Si Externis Ritibus addicti, per illos saltem debuerunt educi ad altiora: ut Coelestia sperare ac spirare possint. Si in Idololatriam proni ac projecti; tanto magis inde retrahi debuerunt, atque in contrarias omnia converti. Ergo non indignum fuit Divina Bonitate ac Clementia, ut eos, quos gradu Infantium ac Puerorum hactenus

vole

volebat contineri, atque constringi, sub Involucris Doceret Melioris Oeconomiae, ad quam vocabantur. Ac proinde tandem concedimus, Deum se se adcommodasse ad Captum illorum Seculorum, quem ipse illis finibus circumscripserat, ut parca tantum Lucis Euangelicae Cognitione imbuerentur: unde interim nihil decederet, nec Veritati, nec Sanctitati, illius Religionis, quae in plenitudine Temporum deberet manifestari.

§§. Sic descendimus tandem ad fundamenta, & firmamenta Systematis Solidioris, quae Tabernaculo Mosaico adstruant sublimiorem ac Coelestem Potentiam, una cum Origine e Coelo derivanda. Id evincit

ad. Primo loco illa Institutio Tabernaculi, quam Moses nobis delineavit Exod. XXV. 8. Ubi ipse De„us in S. Monte agens cum Mose, eique Sacra„rii erigendi rationem adcuratissime delineans, „haec subjungit: Ad hanc formam faciant mihi Sanctuarium, ut in medio eorum habitem. Additur v. 9. Secundum omnia, quae ego tibi ostendo, ad exemplar Tabernaculi, et omnium ejus Vasorum, sic faciant. Iterum v. 40. idem denuo inculca„tur, et nova religione adstringitur: Vide, facias „omnia ad exemplar, quod praemonstratum tibi in „Monte. Non ergo est fabrica Ingenii Humani cen-

senda

censenda; multo minus Imitatio, et Aemulatio Cultus impuri, et Idololatrici, sed opus Divinae Sapientiae, accommodatum ad illa tempora, et ad illum modulum Lucis, ac Gratiae Celestis, quam Deus tunc volebat impertire, sub Umbris et Figuris, per quas Vetus ille Populus ad majora sensim proveheretur, donec Sol Justitiae adfulgeret. Ita certe nos ratiocinari docuit Aplus Hebr. VIII. 1, sqq. Summa eorum, quae diximus, haec est; talem nos habere Pontificem, qui consedit ad Dextram Solii Majestatis in Celis, Administratorem Sacrorum, Verique Tabernaculi, quod Deus fixit, et non Homo. v. 5. deinceps subjungens: quae Figurae & Umbrae deserviunt Celestium, quemadmodum Oraculo monitus est Moses, quum consummaturus esset Tabernaculum: Vide, inquit, ut facias omnia secundum exemplar, quod tibi ostensum in Monte. Apertissimum cuivis, Aplum opponere Tabernaculum Umbratile ac Terrestre Celesti et Vero, cujus utriusque Auctor et Inventor ut sit Deus; ita lineamenta omnia prioris illius collineent, atque, tanquam in centrum suum conveniant, in posterius: quod aeternae sit durationis, et cujus Administratio sub Vero Pontifice nunquam finiatur. Conf. Hebr. IX. & X. quae

in ho[…]

quae in hoc argumento enucleando decurrunt: quin imo tota Epist. ad Hebr. hanc Veritatem ubique supponit, confirmat, in pleno die collocat.

ββ. Secundum argumentum, huc porro redundans, idem liquidissime pervincet. Hoc ita formamus: Qui Cultus a Deo ipso delineatus, & praeceptus fuit, ad Religiosam cum ipso communionem, unionemque; in eo aliquid residere ac relucere debet, quod cum Sapientia, Sanctitate, Justitia, Veritate, reliquisque Perfectionibus Divinis, sit conjunctum, neque potest concludi intra Externas tantum Caerimonias, quae omni Spirituali potestate, gratia, et luce, careant. Ergo sub Involucris illis illis Visibilibus, et sub illis Elementis Mundi, aliquid Invisibile ac Coeleste comprehensum fuisse, ipsa res et ratio arguunt, ipsa Dignitas Religionis postulat, ipsa Natura Dei efflagitat, et vel invitis hac in parte speciem saltem Confessionis alicujus extorquet.

γγ. Tertio eamdem Cultus Levitici Spiritualem Vim, ac Mysticam potentiam, declarant flagrantissimi illi Motus atque Adfectus, quibus Veteres Sancti Tabernaculum, omnesque ejus Caerimonias, complexi et prosequuti fuerunt. Specimen modo praebeat Psal. XXVII. 4. Unum postulavi a Jehova, id requiram, ut habitem in Domo Jehovae omnibus diebus

Vitae

Vitae meae: ad amoenitatem ejus intuendam, et inquirendam in Palatio ejus. Indignae Viro Sancto Voces, si non in aliquid altius adhuc spirent & spectent; quam quod externis Oculis pateret. Adparet, Oculos Fidei ejus defixos fuisse in interiorem nucleum et medullam, qui sub Cortice delitescebat, et cujus jam primus gustulus praebebatur fruendus: plena et cumulata fruitione reposita et reservata Meliori Oeconomiae. Adjungatur Psal. XLII. 1. LXIII. 2,3. LXV. 5. LXXXIV. 3,4. XXIII. 6. in quibus Lex et Evangelium, Umbra & Veritas, ita inter se conferuntur atque connectuntur, ut parum divelli queant, ut Anima & Corpus vivum, nihil nisi Corpore mortuo remansuro, si Vitalis illa Virtus, pro qua pugnamus, Cultui Mosaico eripiatur.

dd. Quarto. Subnectimus Probationem gravem et solidam ex more solemni Sanctorum Vatum: quo Cultus Spiritualis Novi Testamenti ab iis depingitur Coloribus desumtis a Tabernaculo Mosaico, atque universo ejus Adparatu & Instrumento. Instar omnium esse poterit Esa. LIV. 2. Dilata locum Tentorii tui, et Vela Tabernaculorum tuorum extendantur, &c. Describitur Conditio Melioris Oeconomiae sub imagine Tabernaculi omnes Regiones occupantis, et includentis, intra

suum

suum ambitum, ad illum ibi Cultum exercendum, quem idem Propheta luculentius adhuc exsequutus est iisdem imaginibus toto Cap. LX. et quem compendiosissime expressit Mal. 1. 11. Ab ortu solis ad occasum magnum erit Nomen meum inter Gentes, et in omni loco Suffitus offeretur Nomini meo. Fingitur ibi Altare, fragrans perennibus odoribus, et cum Altari universum Ministerium Veteris Oeconomiae, commutatum in splendidiorem, ac Coelestem illum Cultum, quem praeumbraverat. Talia infinita omnis pagina Verbi Prophetici cuivis suggeret. Ratio alia nec est, nec esse potest, quam, quod illi Ritus omnes illuc, tanquam in verum suum Scopum tenderent, ibique suum Complementum invenirent.

Excipi posset ad hoc Argumentum, quemadmodum et a multis excipitur; mirum non esse, si sub Oeconomia imperfecta Sacri Vates imperfecto modo loquantur de illa meliore ventura: quin Deum se se accommodasse in describenda perfectiore Oeconomia ad ideas illas, quas Gens Israëlitica imbiberat circa Religiosum Numinis Cultum: neque tamen inde consequi, Evangelicas Veritates sub Caerimoniis Mosaicis fuisse conclusas. Ad hanc Exceptionem amputandam, atque Cavillationem simul confutandam,

EE. Quin

EE. Quinto loco observamus, non minus solemnem morem Scriptorum Novi Testamenti esse, ut novam hancce, et excellentiorem Oeconomiam collaudent, atque concelebrent, Coloribus item translatis a Ministerio Vetere, quod per nos demum compleatur & cumuletur in Spiritu et Veritate. Nihil insignius loco 1 Pet. II. 5. Ipsiquoque Vivi Lapides ædificamini, Domus Spiritualis, Sacerdotium Sanctum, ut offeratis Spirituales Hostias, etc. Signantius v. 9. ibidem: Vos vero estis genus Electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta, Populus Adquisitionis, ut adnuncietis Virtutes illius, qui vos vocat e tenebris ad admirabilem suam Lucem. Omnes illi Tituli umbratiliter quidem dati fuere Veteri Populo; sed vere demum ac solide competebant in verum et Spirituale Semen Abrahami: quod, ut Apostolus. Rom. XII. 1. inculcat, Corpora sua sisteret Hostiam vivam, sanctam, acceptabilem Deo, ipsumque adeo Rationale Ministerium impleret. Illa λατρεία λογικὴ, Cultus Rationalis, opponitur Cultui Externo, umbratili, ac propterea evanituro, postquam adtigisset suum Complementum, quod Umbris suis depositis, Veritatem ipsam in pleno

Die

die manifestaret: quando non amplius Hostiæ Irrationales, Bestiæ; sed Rationales Homines, illud vivum, Sanctum, & Deo dignum Sacrificandi genus praestarent, quod Veritatibus & Perfectionibus Divinis responderet, quodque Veram Salutem Mortalibus adferre posset.

§§. Plura jam non persequimur; quia omnis iterum pagina similia cuivis suppeditabit. Adstringimus tantum vim argumenti, atque inquimus; hic neutiquam commissuros fuisse Aplos. ut Dignitatem & Excellentiam Xtianæ Religionis ita delinearent, nisi Vetera illa Lineamenta aliquid in se continuissent, quod in eundem scopum collinearet interiore quadam, & nunquam evanitura Potentia.

§§. Sed inquiet aliquis: Apli erant Judæi, Judaicis adsveti Ritibus, atque Loquutionibus inde desumtis veluti incocti; ac proinde lubenter his Coloribus usos.

Ad quod Respondemus: Neutiquam eorum Sapientiae aut Lumini id convenire, ut Oeconomias toto Coelo diversas ita inter se commiscuerint; ut magna inde frustratio & confusio redundare debuisset: atque praesertim Paullus, vehementissimus ille Oppugnator Caerimoniarum, nunquam

passurus fuisset, ut Stylus ejus vel minimum ad Veteres Ritus declinasset; nisi exploratum, et perspectum habuisset, Corticis Cultus Mosaici abolito, et Umbris fugatis, Spiritualem medullam ac Veritatem in Christo Jesu demum compleri, et perennem suum vigorem obtinere: quemadmodum illud data opera demonstrat per Universam Epist. Hebr.

§§. Sexto. Ad hoc ipsum confirmandum adtendi velim ad tritissimam illam Formulam, qua Caerimoniae Mosaicae Israëlitis commendantur, tanquam aeternae durationis, et nunquam abolendae Virtutis. Hanc in rem omnis pagina inculcat vocabulum תָּמִיד perenne, perpetuum: et fortius adhuc Vocabulum לְעֹלָם in aeternitatem. Carnales Judaei hinc gravi profecto errore collegerunt, Veterem illam Oeconomiam nunquam fore abrogandam: atque ex hisce Phrasibus etiamnum idem sibi persuadent. Unde

(—) Theologi nostri reponunt ad aciem illam retundendam; Vocabula ista non semper designare Perpetuitatem & Aeternitatem haud finiendam; sed etiam adhiberi in spatiis Seculorum longioribus, et tandem ali

quando

aliquando terminandis. Qua ansa arrepta,
(=) Etiam disputari coeptum circa Capitalissimasquoq Veritates Religionis Christianae: quum contenditur, probari non posse Aeternitatem Poenarum, quia Vocabulum Aeternus patitur restrictiones.

Apparet, Responsionem istam, qua Aeternitas restricta inducitur, nec firmam esse in se, quippe quae latam aperiat fenestram ingeniis prurientibus: et speciatim adversus Iudaeos esse infirmissimam: nam si vel concedamus, illum Vocis abusum, forte alicui occurrentem; Usus tamen ordinarius multo maneret certior: atq tam crebro, tam fortiter, in hac Materia inculcatus, non deberet ulla ratione imminui, atque enervari. Ut Judaeos proinde suo gladio jugulemus, alia insistenda via est, atq demonstrandum ex scopo Latoris, Formulas hasce, toties totiesque repetitas, et pro Signaculo Divino impressas hisce Caerimoniis, pertinere ad Divinam Potentiam et Spiritualem illam Virtutem, qua hae umbratiles Figurae pollebant: quarum profecto interior illa medulla, Coelestia Bona continens, in aeternum vigeret ac perduraret: quin imo in Oeconomia, perpetuum duratura, se se quam splendidissime manifestaret, ac exereret.

JJ. Septimo.

JJ. Septimo. Subsumo ejusdem adhuc naturae Argtum ex Formula Solenniquoque, qua pleraeq Caerimoniae cohonestantur, quum vocantur קֹדֶשׁ קָדָשִׁים Sanctitas Sanctitatum: & de Dignitate illa, quae erant observandae. Ad eundem hic Scopulum crassioris Sui conceptus adhaeserunt Judaei: atque hincquoque contendunt, veram ac perennem Sanctitatem in Ritibus illis Leternis inhaerere: quae propterea nunquam possint evanescere, ac penitus aboleri.

§S. Ad eorum hancce Instantiam confutandam non sufficit dixisse, Mosen loqui de Sanctitate Typica, et de Dignitate illa, qua omnes illae Caerimoniae quam religiosissime debebant observari. Fatemur quidem, id ex partequoque contendi: sed nunquam tantus Titulus impositus fuisset rebus Leternis ac Mundis, Adparatui Visibili, et Corporeo, Elementis Mundi, ut cum Aplo. loquamur, nisi illa Elementa Mundi, et rudimenta, veramquoque Sanctitatem Spiritualem in se continuissent, quam Oculus Fidei debebat adprehendere, defixus in Messiam venturum: qui, tanquam Sol Justitiae, Umbris fugatis,

Verita

Veritatem hujus Cultus religiosissimi compleret. Hoc disertissime inculcatum Dan. IX. 24. ubi Messias dicitur venturus ad obsignandam Visionem & Prophetias, et ad ungendam Sanctitatem Sanctitatum, i.e. ad Coelestem illam Unctionem effundendam, qua quidquid sub Externis Involucris delituerat, plenitudinem suam adipisceretur, atq in claro lumine refulgeret, ac splenderet. Hinc

VIII. Octavo. Descendimus ad firmissimum praesidium hujus nostrae Caussae, situm in diserta auctoritate & liquidis Testimoniis Apostolorum. Supra numero IX. primo, insinuatum, ubiq hoc, tanquam indubitatum, supponi in N. Testmto: tum generatim de universo Cultu Legali, tum speciatim de Tabernaculo, ejusq universo ministerio. Loci ibidem adductis nunc adjici tantum volumus pro cumulo, 2 Cor. VI. 16. coll. Lev. XXVI. 11, 12.

Excipiunt, qui deverse sentiunt, Aptos hoc assumsisse ad Hominem argumentando; quia res ipsis erat cum Hominibus Iudaeis, hac opinione imbutis. Multipliciter laborat hac Exceptio. Nam.

- Non decuisset Viros, Divinitus inspiratos, probationes ad Hominem instruere, i.e. ex Hypothesi parum firma argumentari.
- Non licuisset quoq iisdem infirma illa Elementa Mundi substernere magnifico Aedificio Religionis Xtianae, atq ita commiscere, quae toto Coelo discreparent, magno cum errore tum Iudaeorum, tum etiam Xtianorum, ex Gentibus convertendorum, quippe qui non satis discrimen V. et N. Testamenti potuissent internoscere.
- Pleriq Iudaei contrarium sentiebant, et Car-

Carnali affectu externis suis ritibus ita ad-
haerebant, ut nihil aliud nec expectarent, nec
admittere possent.

:: Quum Apostoli non uni Scripserint Seculo, sed
ad universam Ecclesiam Scripta Sua voluerint
pertinere per omnem Seriem Seculorum, nil
aliud assumere potuerunt in hac Doctrina
inculcanda, quam quod ab omnibus Seculis
pro vero & indubitato deberet agnosci.

11. <u>Nono</u> & ultimo, Subtexemus Conspectum, qui
praecedentia omnia fortius adstringat, & am-
pliore etiam luce perfundat. Asseveramus np.
& Fundamentis praestructis Superstruimus: quidquid
Vetus Tabernaculum visibiliter adumbravit, &
jucundis coloribus delineavit circa Cultum
Divinum; id vere, solide, & cum ubertate un-
ctionis Xtianae, nunc quoque existere, atque in me-
ridie suo veluti resplendescere, sub Oeconomia
Evangelii. Habemus np. <u>Tabernaculum Dei
cum Hominibus</u>, et inhabitationem ejus omni Gra-
tia Superabundantem, Apoc. XI. 19. XV. 5. XXI. 3.
in eo habemus quoque <u>Sanctum Sanctorum</u>, quod quo-
tidie Fideles jubentur introire per viam Semper
recentem, & initiatam in Sanguine Xti, Hebr. X.
19, 20. Habemus ibidem <u>Arcam Foederis</u>, Thro-
num Gratiae, in eodem Sanguine erectum, Hebr. IV.
16. cum Propitiatorio, sive כַּפֹּרֶת Operculo illo,
quo Arca Foederis tegebatur, quodque Sanguine
Expiationis quotannis aspergebatur, Rom. III.
25. Habemus itidem <u>Sanctum</u>, cum Altari aureo

unde

unde Preces Sanctorum jugiter in Sacrario
Coelesti, sub potentissima intercessione magni
nostri Pontificis ascendunt, Apoc. VIII. 7. IX.
13. Habemus pro uno Candelabro Aureo, Sep-
tem Lampadibus praefulgente, Septem Can-
delabra, Septies Septem jubar spargentia per
Ecclesiam, inter quae Rex noster & Pontifex
deambulat, Apoc. I. 12. Habemus Mensam,
opipare instructam, cum Poculo exuberante;
& ipso Vitae Coelestis Pane, Ps. XXIII. Habemus
denique Atrium, cum Altari aeneo, & Vase
Lavacro, Hebr. XIII. 10. Apoc. VI. 9. XI. 2. Et qui-
dem tale Atrium, tale Altare, in quo jus
non habent, nec accedendi, nec comedendi, qui
Veteri Sacrario deserviunt, & Carnali affe-
ctui adhaerescunt, Hebr. XIII. 10. ut inculcat Apls.
simul declarans, Atrium hoc tantum fre-
quentari potuisse a Spirituali Sacerdotio
N. Testamenti, quibus hoc per Spiritum Xti in-
trare datur. Ita fundamentis & firmamentis
in solido jactis, progredimur

(*). Ad Contemplationem Sublimiorem hujusce Ta-
bernaculi per omnes ejus Dimensiones, omniaque
simul Instrumenta. Ut autem felicius materiam
hanc enucleemus, attingendae nobis sunt diversae
opiniones, in quas abierunt ingenia tum Ve-
terum, tum Recentiorum, qui in hac Pa-
laestra sese exercuerunt. Ut ita, quisnam Cur-
sus inter multos Scopulos sit tenendus, tanto
melius dijudicari queat. Qui enim Spiritu-

aliter

aliem Potentiam cupiunt obscuratam, vel ex-
stinctam, eo etiam argumento; quot Capita,
tot ferme Sensus, hic reperiri, atq inter tam
diversos fluctus opinionum, nihil Satis tuti
adfulgere, quo quis solidam Stationem speret,
adeo obtineat. Optandum sane foret, ne Ob-
aut obtineat. Optandum sane foret, ne Ob-
jectio haec Damnum optimam Caussam, & ma-
teriam dignissimam, in qua elaboramus, prae-
gravaret. Multa enim nimis argute & quaesite
cogitata id, quod omni dubitationi exemtum
esse poterat, ac debebat, suspectum reddiderunt,
atq ansam porrexerunt iis, qui Cultum Leviti-
cum enervant, & elevant, omnia tanquam una
Spongia delendi, et bona simul cum Malis ex-
plodendi. Hoc ex deductione, quam nunc pressius
ingredimur, ultro dilucescet. Ordimur hanc Seriem

§V. Ab Hypothesi Judaeorum qua Veterum, qua Re-
centiorum: qui quum agnoscant, Tabernacu-
lum fuisse velut Sublimioris Sapientiae Specu-
lum; istam tamen Sapientiam ad Physicas Con-
templationes cum Morali quadam reflexione,
inde redundante detorserunt. Non inutile fu-
erit pro generali hocce Conspectu paucula de-
libasse ex Philone Judaeo Lib. III. de Vita Mosis
qui tradit, Tabernaculum fuisse representa-
men hujus Universitatis, quae sit Dei Domici-
lium & Templum. Aulaea Tabernaculi con-
texta ex Bysso, Hyacyntho, Purpura, & Cocco,
respondisse quatuor Elementis. Namq Byssum

e Terra

Terra; Purpuram ex Aquas; Hyacynthum convenire colore cum Aëre, Coccum autem cum Igne rubente. Arcam porro Foederis in Sancto Sanctorum, 1. Physice consideretur, significare, ait, Potentiam Dei; 2. Moraliter, mentem Hominis Deo subjectam. Operculum Arcae cum suis Cherubinis a quibusdam dicit haberi pro imagine Hemisphaerii nostri, quod tanquam alatum sit, et volucre, ob celerem rotationem. Ipse Philo mavult per alatos Cherubinorum imagines repraesentatas fuisse duas supremi Numinis Potentias: alteram, qua creaverit omnia; alteram, qua regat & gubernet eadem. In Sancto collocatum Altare Aureum, medium inter duo alia ornamenta, ei consignat debitam Rationem actionem pro Terrenis; quippe quae mediam Mundi regionem tenent. Candelabrum Austrum versus refertur ad Luminaria Mundi, Solem, Lunam, caeteraque Astra, quae per Austrum ferme circumferuntur. Mensa Sacra ad latus Septentrionale cum Pane & Sale apposito, eidem figuraverunt foecunditatem, quam Septentrionales Venti, qui omnia maxime vegetant, solent afferre. Eodem denique filo & tenore reliqua persequens, ostendit ingenium parum Sapiens, vacuum Spiritu Evangelico, quod pro Coelestium Veritatum fulgore Vitrea fracta nobis venditat, in quibus nil Sani & Solidi. Talia etiam sunt, quae Josephus eodem ferme modo exsequutus. Cui Atrium est Orbis Terrarum. Sanctum Mare Terris circumfusum. Sanctum Sanctorum Coelum. Mensa cum duodecim Panibus Duodecim Signa Zodiaci. Candela-

brum →

Candelabrum cum Septem Lampadibus Septem
Planetas. Reliqua ad eundem gustum, sane quam
insipidum, quiq; arguat Caecitatem summam & he-
betudinem in Spiritualibus. Ut adeo mirum sit,
quosdamquoq; ex nostris Xtianis tam ineptis ar-
gutiolis semet oblectare potuisse.

7. Hypothesis quidem paullo altius assurgit, sed neu-
tiquam ad verum Scopum collineat: quippe quae
commisceat materialia & localia cum rebus
ab omni materia visibili disjunctissimis. Ex-
hibebo conspectum verbis Jac. Altingii, ad
Hebr. IX. ita commentantis: "Datur Tabernacu-
lum Coeleste, ad cujus similitudinem Mosaicum
olim fuit constructum. Atrium ejus est omnis
Regio Aërea, oculis exposita omnium, quemad-
modum omnibus introitus in Atrium patebat.
Tabernaculum anterius sive Sanctum, est Spa-
tium supra Expansum Stelliferum, ubi nemo
intrat, nisi qui propioris est admissionis Ami-
cus & familiaris Deo, quemadmodum soli Sa-
cerdotes Sanctum intrabant. Tabernaculum in-
terius, sive Sanctum Sanctorum est tertium
Coelum, ubi Thronus Gloriae Dei, quemadmodum
in interiori Adyto Arca cum Cherubinis collo-
cata fuit, quem in locum soli Pontifices
semel quotannis se se conferre dabatur. Hinc
porro ita subsumit Vir Doctiss. Spiritum San-
ctum super Tabernaculi terreni Structuram ma-
nifestavisse Conditionem Coelestium, et ostendisse,
quomodo Coelestia illa pervia sint & impervia.

Inter

interpositis deinde quibusdam, ita porro interpretationem hancce suam premit & adstringit. Dicimus, Tabernaculum Mosaicum representationem fuisse Coeli, in quo Aër apertus omnibus per Atrium apertum fuit adumbratus. Sanctum Sanctum figuravisse Coelestem illam Sedem, ubi Thronus Majestatis & Gloriae est. Sanctum designavit Spatium intermedium inter illud Coelum supremum, & inter Expansum Stellis substratum. Proinde Christus, verus noster Pontifex, Coelos dicitur pertransiisse Hebr. IV. 14. primo Aëreum, deinde Stelliferum, ut perveniret in tertium seu summum: quemadmodum Pontifex Aaronicus per Atrium & Sanctum penetrabat in Sanctum Sanctorum.

Et in universo hac Commentatione Altingiana, quod prima forte specie queat abblandiri. Sed quod penitius inspectum & examinatum, stare nequeat: quum plane deflectat a Spirituali illo Scopo & Conspectu Veritatum Evangelicarum, ad quos Tabernaculum cum spirituali suo apparatu & ornatu fuit directum, quodque prepinxerit Habitaculum illud Coeleste, in quod solum genus Electum admittitur, ut ibi Regale Sacerdotium exerceant, partim in Gratia; partim in Gloria. Hoc ex sequentibus ulterius elucescet: ac propterea huic Hypothesi recensendae non opus erit diu insistere. Quemadmodumque tantum obiter attingemus

A. Ingeniosum lusum aliorum, qui volunt, Tabernaculum, ejusque tres dimensiones, Atrii, Sancti, & Sanct.

Sanct

Sanctorum, pulcre repraesentasse Diversam ad-
ministrationem Viamm Dei cum Homine, sic,
ut Atrium indicaverit Foedus Operum; San-
ctum Foedus Mosaicum; Sanctum Sanctorum
Foedus Evangelicum. Lud. Capellus in Comm.
ad Zach. V. hisce vestigiis insistens, ita Hypo-
thesin illustravit & commendavit: Quemadmodum
tria illa Spatia in Domicilio Dei sic fuere di-
stincta atq discreta, ut Atrium omnibus pateret
Sacerdotibus toto die; Sanctum solis illis, qui
ministrabant, quum Suffitus erat adolendus, &
Lucernae accendendae mane & vesperi; Sanctum
Sanctorum deniq semel tantummodo quotannis Sum-
mo Pontifici: Ad eundem modum Foedus Natur-
ae cum omnibus omnino Hominibus contractum
est, omnibusq commune est & obvium; Foedus
Legale initum est cum Judaeis solis; Foedus Evan-
gelicum, tanquam penitissimum Arcanum, atq
Sacrarium, quod Xtus aperuit, solis Xtianis
revelatum est, atq conceptum. Est iterum in hisce
quod undiq laboret gravissimis incommodis, quodq
penitus abludat a genuino illo Tabernaculi
Spiritualis adspectu, quod solam Oeconomiam Gratiae
ita Foedere justis & vivis coloribus depinxit, quem-
admodum in Ecclesia per Xtum instituenda in
Spiritu et Veritate Deus aliquando inhabitaret,
ut Electos suos communitate sua in Terris atque
in Coelo compleret & consummaret. Hanc viam
ingreditur jam

7. Hypothesis, quae a plerisq nunc tenetur, nec

Tam

nec tamen ita instituitur, ac deducitur, ut satis solida, atq rotunda, censeri queat. Delineationem, quam vulgatissima hæc opinio communi calculo obtinuit, comprobavitq, paucis perstringere necesse erit: ut ita de ejus fundamentis, & universa compage, distinctius judicium ferri queat, simulq deprehendi, quibus incommodis, vitiisq laboret. Statuitur generatim,

A. Tabernaculum præfigurasse Ecclesiam Novi Testmti, sive administrationem illam Foederis Gratiæ, quæ sub meliore Oeconomia manifestaretur. Cujus

B. Atrium figuram præbuerit Ecclesiæ Visibilis & Externæ, in quam omnes illi recipiantur, qui Xti nomen profitentur, etiamsi Vera Fide & Spiritu careant. Ita Clar. Witsius in Diss. de Tabern. Lev. Myst. §. XXV. itaquoq Clar. Till, in Comment. de Tabernac. Mosis: ubi Atrium Gentilibus conculcandum traditur per XLII. menses, existimantes se, Apoc. XI. 2. idoneum fundamentum habere. Eodem refertur a Clar. Till. 2 Thess. II. 4. et Esa. XIV. 12. Habetq de Atrii Columnis, Velis et Introitu, alia subtiliora, quæ jam non excerpimus, contenti majora tantum attigisse.

C. Ad Altare Aeneum itaq accedimus, de quo idem Clar. Theologus pronunciat, dubium nullum relinqui, quin sit figura & pictura Xti, qui ut & Sacerdos fuerit & Sacrificium, ita etiam Altare præstiterit, quod ex Hebr. XIII. 10. exsculpi solet, quum dicitur: nos habemus Altare, de quo comedere fas non est iis, qui Veteri Sacrario

deserviunt. Subtilitati & acumini hac in parte indulgentes Viri Docti, in Ligno Altaris inveniunt Naturam Humanam Xti: in aere, quo Lignum illud communitum, Divinam, vel etiam Robur Divinum, Naturae Humanae circumdatum, ut ipsum isto Divina sustinendum. Ad Cornua Altaris multaquoq Subtilia subjecit noster Tillius, quae apud ipsum legi malim p. 59. & 60. Praeterire interim non possum, quod de Loco & Situ Altaris visum Viris Doctiss., quos laudavi, aliisq bene multis, qui per eadem vestigia processerunt. Duo np. hinc eliciunt:

—. Necesse fuisse, ut Xtus hoc in mundo visibiliter pateretur sub publico & patentissimo adspectu, & quidem in medio Coetu Israëlitico, qui tunc temporis Externam & Visibilem constituerit Ecclesiam. Ad eandemquoq rationem

=. Necesse esse, ut Xtus patiens & crucifixus in Eccla Visibili proponatur & promulgetur. Super hocce Altare Ignis jugiter flagrans aliis videtur iterum Divinam Xti naturam significare: aliis potius Spiritum S. Utriq opinionem suam affirmare conantur ex Hebr. IX. 14. ubi dicitur: Xtus seipsum obtulisse per Spiritum aeternum.

D. Attingendum adhuc, antequam ex Atrio discedamus, Lavacrum Aeneum. Quod iterum plurimis repraesentasse videtur Xtum, qui ut fons Davidis apertus contra Peccatum & contra Impuritatem. Aliis potius placet applicare ad Spiritum Regenerationis & Sanctificationis: quod quidem

discrimen non adeo magnum. Neutra tamen expositio satis accommodata ad universum ordinem rerum Sacrarum, quae nobis in hocce Sacrario ante oculos proposita fuerunt. Progredimur hinc

II. In Sanctum, quod Clar. Tillius p. 133. ita declarat, ut haud dubie repraesentaverit Ecclesiam Invisibilem & Spiritualem illam, in qua sola verus Cultus, vera Religio, exerceatur. Aliquid incommodi hic sentiens Vir Clar. illud ita levare studuit: Fateor quidem, in Ecclesia Externa, Visibili, cujus Symbolum fuit Atrium, Deum coli Externis ritibus. Verum ille Cultus tum demum perficitur, quando Cultores illi visibiles Fidem, Veritatem, & Spiritum, cum externo Cultu conjungunt, secundum quos actus internos concipiuntur versari in Domo Dei. Sed parum quadrat haec rerum digestio: quum in Atrio nullus Deo Cultus offerri queat, nisi internus & Spiritualis: ac propterea beati praedicantur, qui in Atriis Dei versantur. In hocce Sancto Ornamentaque nobis lustranda sunt.

1. Altare Aureum, Clariss. Tillio p. 122. est Emblema & Symbolum Xti, quatenus Intercessorem agit in Coelis et glorificatus isto nunc munere defungitur. Ubi iterum Subtilius Lignum trahitur ad Humanam Xti Naturam, Aurum ad Divinam, vel ut alii malunt, ad glorificationem Naturae Humanae. Mitto reliqua, quae argutius sibi hic permiserunt Docta Ingenia in Cornibus & Vectibus hujus Altaris, in quadrataque ejus forma, reliquaque Ornamentorum serie;

ut vocc

ut verbulo tantum attingam, quod de Situ
in intima parte Sancti, subjunctum, loco
superius laudato. Dicitur ibi, Altare Ho-
locaustorum omnium oculis ideo fuisse exposi-
tum, quia Xtus patiens conspici debuit ab
universo Populo. Altare autem odorum ideo
fuisse secretum, quia Xtus Preces et Inter-
cessiones fundere solens, secedere solebat in
loca secreta, atq nunc secretus vel maxime
in Coelis agat, intercedendo continuis Precibus
coram Patre. Haec alienissima esse ab inten-
tione vera, et connexione solida locorum Sa-
crorum, inferius patescet. Nunc cursum sus-
ceptum persequens, ulterius

11. Ad Mensam Auream, alterum Sancti orna-
mentum adnoto: eam a Car. Tillio iterum
applicari ad Xtum glorificatum, v. 30. atq
iidem Panes XII. considerari, tanquam figu-
ram Corporis Xti crucifixi, ita ut Mensa sese
habeat ad ipsum Panem; sicut Xtus glorifi-
catus sese habet ad Semet ipsum crucifixum.
Haec iterum parum videntur certa & di-
gesta, quippe quae ea subtilitate semet
praepediant, atq obscurent. Quemadmodum &
parum solidae Meditationes, quae subnectuntur
de Instrumentis Sanctae Mensae, & Vasculis
ibidem appositis. In quae jam non excurri-
mus, submonuisse contenti, ne quidem satis
adhuc liquere de omnibus Vasculis hisce: ut
proinde incertum sit, atq fundamento desti-

destitutum, quidquid Subtilius hic affertur. Clar. Witsius in Dissert. cit. §. 36, 37. per Mensam maluit designatum Verbum Evangelii, in quo Xtus tanquam Panis Vitae proponatur. Hoc quidem sic satis Digestum, & generatim adspiciatur. Specialior autem discussio de forma, ornatu, et instrumento ejusdem Mensae, iterum longius abit, & in nimias Subtilitates sese implicat. Quemadmodum profecto fieri nequit, quin in talibus, quae lusu magis Ingenii, quam principiis evidentibus nituntur, Cogitationes hominum Eruditorum a se invicem dissideant. Restat adhuc in Sancto

III. Considerandum Candelabrum Aureum, quod applicari solet ad Ecclam iterum, & quidem interiorem sive mysticam, quia Apoc. I. 20. II. 5. Septem Candelabra dicuntur esse Septem Ecclae: addatur Zach. IV. 2. Quia tamen Sanctum ad hanc Hypothesin jam Ecclam interiorem repraesentaverat, atque incommodum erat, Ecclam in Eccla constituere denuo, ita nodum huncce resolvere Conatus est Clar. Tillius, p. 35. ut Candelabrum nostrum strictius exhibuerit Ecclam sub illa relatione quatenus unum cum Xto Corpus constituerit. Deinde Eam quatenus Confessionem Fidei ostentat, atque ad eam omnibus praelucet, quippe quae sit στύλος, καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, 1 Tim. III. 15. quam Xtus ita Spiritu suo perfundit & implet, ut a Veritate nunquam desciscat, etc. Subtilius deinde de materia & forma Candelabri hujus multa ludit, quae non exsequemur. Observasse sufficerit, non satis cohaerere hanc Hypothesin cum eo, quod idem V. D. mox Lampadas Candelabri agnoscat pro Symbolis Spiritus S.

quemadmodum disertissime legimus Apoc. IV. 5. V. 6. Clar. Witsius Septem Lampades maluit referre ad Septem Ecclesias Particulares, quae in Ecclesia generali per Candelabrum figuratae, reperiuntur.

II. Penetramus tandem in Sanctum Sanctorum, quod omnium ferme calculis praefigurasse sancit Coelum Supremum. Verba Tillii nostri p. 48. ita se habent: Sanctum Sanctorum se habet ad Sanctum; ut Coelum ipsum ad Ecclesiam, in Stadio versantem, sive militantem; habetque illud intimum Sanctuarium propter Cubicam figuram formam omnium perfectissimam, representamen Coelestis illius Sedis, et Felicitatis. Apud Witsium §. 55. consimilia reperiuntur. Atque hoc vulgatissima interpretatio, in quam omnium confessio et conspiratio deprehenditur. Dissidetur interim magnopere circa Velum huic adyto praepansum. Clar. Witsius §. 52. tria autumat Significata.

I. Coelum Visibile, per quod Xtus Dominus transiit, Hebr. IV. 14. VI. 19, 20. Nec non

II. Caerimonias Legis, 2 Cor. III. 13. ac denique ipsam

III. Carnem Xti Hebr. X. 19, 20. Adjungit ibi Convenientias quasdam inter Carnem Xti et Velum, quas non examinabimus, quia isto quidem adspectu, quem sibi eximius Theologus proposuit, tota Hypothesis vacillat.

Magis adhuc labat Clar. Tillii suppositio, p. 52. ubi hoc Velum interius censet representasse Xtum in Munere Prophetico: quod p. 53. subtilius exsequens ita intricat, ut extricare nulla ratione queat. Veluti

I. Quum materiam Veli byssinam denotare ait Xti Humanam Naturam, vere Sanctam, in

in qua Se Prophetam exhibuerit. Materiam
Hyacynthinam eandem Naturam, ut exemplar
Coelestis Gloriae; Purpuream, ut Signum Summae
auctoritatis. Coccineam, ut indicium fundendi Sanguinis.

II. Quum Velum Sancto Sanctorum oppansum, quo-
minus Arca conspici posset, ita exponit, quod quam-
diu Xtus inter Homines doceret, nondum tempus
esset, quo Thronus Gratiae erectus conspici posset:
quin imo Xtum Majestatem Carne Humili debu-
isse obvelare: quod non potuerit inter Homines
Prophetam agere, nisi in eo Statu, in quo Regi es-
set Subjectus.

III. Quum Velum ruptum autumat denotare com-
plementum ministerii Prophetici inter Homines
& Consummationem praeconii Evangelii per mortem.
Haec plane et a natura Emblematis abludunt, & mu-
neri Prophetico Xti tam parum conveniunt, ut con-
traria omnia potius obtineant, quemadmodum in se-
quentibus ostendetur. De Arca Foederis porro, post
Velum reposita, unanimi Consensu firmo Sancitur, eam
fuisse Typum completissimum Xti adscensuri in Coelos,
ad dextramque Patris consessuri. Ubi denuo Lignum
Naturam Humanam exsignasse; Aurum Divinam, ple-
rique sentiunt. Quamvis Clar. Tillius adversus eam Opi-
nionem disputans, illud Aurum aptius censeat em-
blema Glorificationis, qua Humana Xti Natura
praefulget. Argutius ibidem versatur in Ligno, ad
Humanam Naturam ita applicando, ut in materia
Spinosa, e qua Arca erat fabricata, reperiat Simi-

lit

Similitudinem Carnis peccati, & quae maledictioni
nostrae fuerit obnoxia. Item quum Arcam Cavatam
in modum Conditorii notare posse censet mortem Xti,
& necessitatem Sepulturae. Quod, tenus universum ni-
titur nititur lusu & acumine ingenii, non autem
Solido lumine praefulget. Et, antequam materiam
hanc dimittamus, verbulo adhuc attingendum Oper-
culum Arcae: quod, quemadmodum Superiora omnia,
etiam directe Xto applicatur; et quidem vel ut
Intercessori, ut placet Tillio, vel ut Expiatori, ut Witsio.
Reliqua missa facimus, atq ad haec omnia jam tan-
dem observamus; multa a Viris Doctiss. congesta, quae
tenui tantum Specie forte se se commendent: plura,
quae Specie penitus vacent: plurima autem, quae inter
se neutiquam cohaereant, atq accurate perpensa, se-
met impediant, ac destruant. Dicere quoq sustineo, to-
tum Systema haud rite conceptum aut digestum.
Quum enim depingi nobis debuisset Spiritualis Do-
mus Dei, in qua Spirituale tantum Sacerdotium ad-
mittitur, mox in limine fuit offensum, quum Atrium
habuerint pro Externae et Visibilis Ecclesiae repraesenta-
tione. Haud dubie illa partem constituerunt, atq etiam
num constituunt, Sacratissimae illius Aedis, et augustae
Aedis, quam Deus in Spiritu & Veritate frequentari
potissimum voluit sub Novo Testamento, sub quo etiam
num Spirituale illud Altare aditur, & Spirituale La-
vacrum circumitur, per quod Justitiae & Sanctitati
verae participes redduntur omnes, qui ad Commu-
nionem Dei accedunt, atq genuinos se se prae
beant

praebent adoratores. Haec evidentiora per se sunt, quam ut vel umbram Dubitationis relinquere possint. Atrium enim divellere a Spirituali Domo Dei est totam Domum obscurare. Fateor interim, aliquid ansae fuisse, ad quam adhaeserint Docti Interpretes. Reperibant enim Apoc. XI. 1. quod illuc ducere videretur, qui locus propterea a nobis rite discutiendus. Verba sic habent: et datus mihi Calamus, Virgae mensoriae assimilis, Dixitque mihi Angelus: Surge, metire templum Dei, et Altare, et adorantes in eo: Sed Atrium exterius templi ejicito foras, nec illud metiaris, quoniam datum est Gentibus, et Urbem Sanctam conculcabunt per 42. menses.

Primo adspectu opponi inter se videntur Templum Dei & Altare ejus, et Atrium exterius Templi: ac propterea etiam a plerisque indubitatum tenetur, per τὴν αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ non aliud intelligi, quam Atrium Sacerdotale. Accuratius tamen perpensus Contextus hicce omnia aliter exigere deprehendetur: quum Scopus & Series, et res ipsa, pervincant, sub appellatione Templi & Altaris ejus comprehendi etiam Atrium Sacerdotale, quippe in quo Altare hoc absolute semper Altare Holocaustorum designans erat collocatum. Hae rationes ita sentire jubent.

1. Quia Templum Dei, absolute positum complectitur universum ambitum Sacrarii cum omnibus dimensionibus & partibus, inter quas haud dubie Atrium Sacerdotale.
2. Quia adoratores hic in Templo constituuntur ad Altare quod in Atrio situm: ut illud puris manibus circumeant, puris Victimis honorent.
3. Quum ita signanter ἡ αὐλὴ ἡ ἔξωθεν τοῦ ναοῦ Atrium exterius opponitur Templo & Altari, non potest facile intelligi Atrium Sacerdotale, quippe quod

ipsum

quod ipsum interius erat: Per ista Denominationes jam de-
signatur tota illa Area, quæ extra Atrium interius
jacebat, complectens Spatia minus Sancta, quæ vocantur
Atrium Virorum, Mulierum, & Ante-murale.

4. Hoc patet, quia si Atrium interius intelligeretur, iis
extra mensuram abjectum fuisset, & conculcationi tradi-
tum, tum lectissima pars Eccliæ, quæ ex Fidelibus
utiq constat, simul abjecta & expulsa fuisset.

Alia quæ hisce adjici possent, jam non persequimur, et ma-
gna cum fiducia concludimus, contrarium plane, quod vulgo
tendebatur, np. Atrium esse partem Ecclæ Invisibilis; non
autem esse aut repræsentare Ecclam Visibilem. Scil. Vaos
τȣ̃ θεȣ̃ certissime est Sedes illa interioris cum Deo Communi-
onis, quæ in Atrium Sanctum & Sanctum Sanctorum
fuit distincta. Τὸ θυσιαστήριον non est Altare Aureum in
hac Visione; sed Altare Aneum: et οἱ προσκύνοντες
ἐν ἀυτῷ sunt Veri illi Adoratores, qui ad Altare illud
adstant, atq inde in interiora usq se penetrant. Sic jam
longe alia facies rerum nobis nascitur, & in Invisibili
hocce Templo, quod per Spiritum & Veritatem tantum in-
iri & frequentari potest, Atrium necessario Denotare
debet primum illum gradum interioris cum Deo Commu-
nionis, quo quis a Corruptela & Impuritate Naturæ
transfertur in Statum Gratiæ desideratum: ut tanquam
Sacerdos in Atrio Dei discat versari, atq ad Altare
accedere. Hoc fuisse Symbolum ipsius Xti iterum nimis
feliciter videtur suppositum, tanquam id intenisset
Apls. Hebr. XIII. quum ait: nos habemus Altare, unde
fas non sit comedere, qui Sacrario Veteri deserviunt.

Atqu

Atqui nil aliud ibi vel in litteras; vel in mystico Sensu, inculcatur, quam Fideles Novi Testamenti habere Altare multo excellentius, quam Cultores Veteris Testamenti, quippe qui habuerint Umbram, quum nos habeamus Solidum Corpus, et quidem tanto eminentius, quando Celestia Superscandunt Terrestria. Ut ergo Altare illud Vetus erat mensa Dei, Mal. I. de cujus Victimis et Ejus dapibus participabant Sacerdotes; ita sub N. Testamento, habemus multo lautiorem mensam et altare lautius instructum, super quo ipse Xtus immolatus apponitur Credentibus. Vel hic solus adspectus facile arguit, Altare non figurasse Xtum, quippe qui considerari debeat tanquam super Altari oblatus ut Corpus ejus Piacularis esset vere Cibus et Sanguis ibidem fusus vere potus: illuc enim respexisse Dominum, quum mysticam hanc Sententiam ederet Joh. VI. dubitari nequit. Accedunt gravissimae Rationes, quae mysticam Altaris indolis potentiam aliter considerandam esse coarguunt. Ubi,

I. Illustre Visum Esa. VI. 1—6. attendi velim: inducitur ibi Dominus Messias, tanquam Rex et Pontifex, sedens super Throno celso et sublimi. Thronus respondet Arcae Foederis, super quam Sacra nubes residebat inter alas Cherubinorum: nam Esaias ibi versatur in Sacrario, ubi Regis Thronum stipant Seraphini, iidem cum Cherubinis, atque Domino jam per gloriam consummato, atque per totum Terrarum orbem manifestando, acclamant Trisagion illud: Sanctus etc. Mox ibidem repraesentatur unus Seraphinorum, advolans ad Altare, atque prunas inde decerpens, ut labra Prophetae expurgaret. Est ergo Altare illud distinctissimum in Domo Dei ab ipso De-

nicio

Domino, & Rege super Throno insidente, quem fuisse Messiam Joh. XII. 40. dubitare non sinit.

II. Non videtur limatum, & analogiæ Veterum Sacrorum satis accommodatum, ut Altare statuatur ipse Xtus, quippe qui ut Pontifex, ad illud Altare debuerit accedere, ut ibi semet ipsum tanquam Victimam piacularem Justitiæ Divinæ sisteret, atq; consumendum traderet. Hac de Caussa multis Veteribus & Recentioribus visum, Altare potius figuralle Xti Crucem, in qua Xtus immolatus, & igne iræ Divinæ combustus fuit. Sed ne hoc quidem solidum exactum, perceptum, saltem si in Crucis externo illo aspectu obhæreatur. Nam Altare Sanctificat Donum, quippe dono majus sanctiusq; Matt. XXIII. 19. utrumq; eminentius, quam ut Ligno visibili Crucis attribuatur. Altareq; nostrum perenne, immobile & æternum. Crux visibilis transiit jam, & non nisi immaterialiter cogit videri, atq; religiose adorari. Hoc ergo est Altare nostrum, quotidie in Templo Dei frequentandum, et circumeundum in Spiritu & Veritate.

III. Non habet quoq; vel Convenientiam justam; vel Demonstrationem satis firmam, quod Lignum Altaris Xti Humanam Naturam dicatur expinxisse; Æs vero Divinam, vel saltem robur a Divina Natura Humanæ suppeditatum. Talia non lucent ex solido. Nunquam etiam talia Veteribus Sanctis in mentem venire potuerunt quum Spirituali oculo Sacrarium Dei cum Apparatu & Ornamentis contemplarentur. Ut in Summo Pontifice cernebant illum, qui Altaria Dei deberet imbuere pro Hominibus, Mediator Dei & Hominum constituendus,

ita

ita Altare exterius ipsis obversare debuit tanquam repraesentamen Justitiae Divinae, quae Piaculum et exigeret pro omni Peccato, et transgressione, & simul clementer admitteret: ita ut ab una parte esset quasi focus Dei accensus contra Peccatum & Peccatorem, quo adspectu proponitur Esa. XXXI. 9. ab altera parte tanquam mensa Dei, parata illis, qui jam expiati essent, & per idoneam Satisfactionem reconciliati, quo sensu Mal. I: 11 nobis offertur. Denique

IV. Non aliter sane Veteres pii considerare potuerunt ignem perennem & inexstinctum, qui super Altare flagrabat, quam expressam imaginem Divinae, cum Sanctitatis, tum Justitiae, quae non permitteret quenquam pedem inferre in Sanctum, nedum penetrare in Sanctum Sanctorum, antequam Virtutibus illis esset satisfactum, atque ita digna Deo via esset aperta ad interiorem ejus Communionem. Unde legitime tandem infero & concludo, per Altare aheneum, tanquam per convenientissimum Symbolum, fuisse praefiguratam atque repraesentatam constantem illam Voluntatem Dei, qua per exercitium Justitiae Vindicatricis Majestatem suam servit in Foedere Gratiae, Piaculum exigendo hinc, illinc per Sponsorem admittendo, quin & procurando.

Ad hasce lineolas ita ductas statim in oculos incurrere incipit generalis adspectus Tabernaculi Mystici, quod ita est comparatum, ut nulla ejus partes, dimensionesque, quaeri debeant extra Internam Ecclesiam. Quelibet ejusdem Tabernaculi vim & potentiam Spiritualem non posse divelli; atque in membra disjungi diversissima, ita ut pars quaedam in Externa Ecclesia statuatur

pars

pars in Ecclesia Externa, in Terris militante; pars in Ecclesia trium-
phante in Coelis. Talem Separationem non patitur Ecclesia, non pa-
titur analogia Domus Dei, non patiuntur Sacra Ornamenta,
cum ministerio iis adnexo, quippe quae omnia inter se arctissimo
Vinculo colligata sunt, ut in unum Cultum religiosum coalesc-
ent: ut qui ad Altare Holocaustorum rite accesserit, ibique inspi-
rata & Veritate Justitiae Xti particeps fit, jam jus sibi acquisi-
verit ad reliqua munia Sacerdotalia, quin imo ad proximam in
Sanctum Sanctorum admissionem & accessionem. Clarius men-
tem explicabo, atque magnum mysterium Fidei in pleno die col-
locabo. Nemo intrat in Atrium, atque Communionem cum Deo,
qui non simul particeps fiat Lavacri, atque per Sanctificatio-
nem abluatur ab omnibus inquinamentis & Sordibus Sua-
Corruptionis, secundum nexum illum indivulsum, qui intercedit inter Justificationis & Sanctificationis Beneficia. Ita
jam ablutus, justificatus, sanctificatus, Sacerdos Spiritualis
penetrat in Sanctum, ibidemque Altarique aureo adstans,
sub auctoritate & influxu magni Pontificis Sacros cremat o-
dores, pios preces & Gratiarum actiones jugiter exhalat. Collustra-
tur quoque luminibus et lampadibus Candelabri aurei, i.e. omni-
bus donis Spiritus Gratiae & Gloriae, qui in Sacrario interiore
resplendent. Accumbit denique ad mensam Dei largiter ibi-
dem instructam Pane & Vino, reliquisque dapibus, animam
hilarare aptis. Inde in Sanctum Sanctorum pono introitus ei
factus: quippe quod nullo amplius Velo disclusum vel ex ipso
Atrio jam potest introspici, atque firmo pede Fidei adiri per
viam recentem & vivam, quae nobis initiata est in Sangui-
vine Jesu, velo scisso, i.e. per Carnem ejus. Ubi per Carnem
non Humanam Naturam intelligere debemus generatim

Carnem

Sumtam; multo minus Munus Propheticum; sed miseram nostram mortalitatem, quam Xtus induit, Caro pro nobis factus, & nostrum Peccatum, nostram Maledictionem, pro nobis subiturus: quæ Caro jam super Cruce sub manu Justitiæ Divinæ scissa, omnemquoq; memoriam Peccati, omnemq; adeo Maledictionem, ita abolevit, ut nulla amplius condemnatio sit pro iis, qui in Xto Jesu sunt, sed cum pleno jure Filiorum Dei accedere ipsis liceat ad Thronum Gratiæ. Ergo, ut filum interruptum resumamus, trina dimensio Tabernaculi, in Atrium, Sanctum, & Sanctum Sanctorum, nos manu-ducit ad triplicem gradum accessionis ad Deum, & interioris illius Communionis, quam Sacerdotes Spirituales exercent cum Patre per Filium in Spiritu Sancto.

IV. In Atrio, ubi adhuc versamur sub influxu Spiritus Xti agnoscitur, sentitur, sancitur absolutissima necessitas Satisfactionis Piacularis, quod est fundamentum Foederis Gratiæ. Agnoscitur quoq;, sentitur ac sancitur absolutissima necessitas Justificationis & Sanctificationis, inde tandem redundantis. Prius peragitur & completur ad Altare æneum, unde semper magnum illud Beneficium Justificationis per Sanguinem Jesu repeti debet, atq; per fidem menti applicari. Posterius ad Lavacrum mysticum, unde Sacerdotes caste in Atrio versaturi totum primo corpus lavant et repurgant per Regenerationem, quam quotidie deinceps Lavationes Manuum & Pedum continuant: ut ita jugiter Sanctificationem suam consummant sine ulla intermissione. Sed ad Lavacrum æneum denuo revertimur, in quo altero Ornamento Atrii Brevioribus nobis esse licebit et verbulo monuisse satis fuerit.

minus

minus commode statui, Personam Xti per illud fuisse præ-
figuratam, quatenus ipse sit fons Regenerationis & Sancti-
ficationis. Hic enim alius nobis obversari debet adspectus,
& Xtus considerandus tanquam magnus Pontifex in Domo
Dei, qui Spirituales Sacerdotes deducat ad illud Lavacrum
Meritorum suorum, una cum Spiritu Sancto, manantium
& largiter affluentium ex constantissima illa voluntate Pa-
tris, qui post impetratam Iustificationem omnes quoque fieri
jubet participes Sanctificationis per vivas illas aquas,
obedientiæ Xti, tum Activæ, tum Passivæ, applicitas
potentia Spiritus Sancti omnibus illis, qui in Atrio, vitæ
ministerio funguntur. Est ergo potius Lavacrum aeneum ma-
nifestatio et declaratio et oblatio prolixissimæ & propen-
sissimæ illius Voluntatis Divinæ, per quam ob meritum
Xti in Spiritu Sancto magnum opus Regenerationis &
Sanctificationis perpetuo promovetur & consumatur in omni-
bus illis, qui Sacrarium Spirituale frequentant. Ex Atrio

2. Intrandum nobis est in Sanctum. Hoc nimis stricte ad
Ecclesiam interiorem & invisibilem, quæ adhuc in Terris ver-
satur, non alia de caussa applicitum, quam quia suppo-
situm erat, Atrium figurasse Ecclesiam Externam & visibi-
lem. Accedebat, quod Sanctum Sanctorum localiter ni-
mis adstrictum fuisset Coelo Supremo, & Statui Ecclesiæ tri-
umphantis. Neutrum satis accurate digestum, prout jam
ex parte visum, et ulterius videbitur. Non una nempe difficul-
tas et repugnantia lancem premit hypothesin, sive spectemus
ministeria ibi frequentata; sive rationem & relationem
Ornamentorum, ibi propositorum. Etenim

I. Si ad ministerium Altaris aurei animum intendamus, atq ad intercessionem Pontificalem, ibi exercitam, facilè quivis agnoscet, magnum illud munus nostri Pontificis non intra fines Terræ concludi posse, sed vel maxime in Coelis vigere, atq etiamnum ibi jugiter exerceri, secundum illud Apti, Rom. VIII. qui ad dextram Dei assidet, qui etiam pro nobis intercedit. Consentiunt & conspirant omnes Theologi, qui intercessionem illam Pontificalem Coelesti Statui, & Coelesti sedi, nostri Pontificis potissimum assignant: iterum Preces quoque & Rationum Actiones, quas Spirituale Sacerdotium sub ductu Summi Pontificis cremat & offert ad hoc Altare aureum, æque in Coelis obtinent, & fragrantiam suavem diffundunt; quam in Terris: uti revera una est Domus Dei, uno Spiritu animata.

II. Si etiam adspiciamus Candelabrum aureum, Septenis Lampadibus & Luminibus Spiritus Sancti collustrans Domum Dei, facile intelligetur, illud multo adhuc illustrius in Coelis radiare, quam in Terris. Denique

III. Si Mensam auream considerenus, opipare & opulenter instructam Dapibus Palatii Divini, jam ultro sentietur, gustulum tantum tenuem aliquem & levicularo promulsidem tamen omnium in Terris præberi.

Hæc omnia adhuc expectamus, & alio nunc modo ad Scopum nostrum accommodemus. Et quidem

—. Circa Altare Odoramentorum teneatur Visum Apoc. VIII. 4. ubi introducitur ipse Dominus & Pontifex noster ad illud adstans & potentissimam suam in-

intercessionem exsererey. Ergo certissime Altare illud Personam Xti non repraesentabit, sed omnino statuendum est, uti in Altari aeneo jam vidimus, illo figuratam esse consignatam fuisse constantissimam Dei Patris Voluntatem in Foedere Gratiae manifestatam, qua propter satisfactionem super Altari aeneo exhibitam, mediatori et Pontifici plenum jus concedit Intercessionis, per quam Precis et Gratiarum actiones suorumque Sanctificarum, easdem in Sanctuario Celesti facit refragrare.

=. Circa Candelabrum Aureum sane observandum etiam atque etiam, non posse consistere hypothesin vulgarem, quae per illud ipsam Ecclesiam interiorem, atque in Terris adhuc constitutam, repraesentari statuit. Sic enim concipitur Ecclesia in Ecclesia. Neque hoc intendebat Dominus Apoc. I. v. ult. quum septem Candelabra, inter quae ipse deambulabat, ait esse septem Ecclesias. Illud enim esse non notat aliud quicquam, quam indicare et significare Lumen Spiritus Sancti ibi residens cum omni plenitudine Unctionis, Lucis et Gratiae Celestis; inter quae ornamenta et lumina spiritualia Rex et Pontifex Ecclesiae amet deambulare. Natura certe hujus emblematis non patitur rem aliter concipi. Ordo quoque omnium Sacrorum idem locum exigit. Quum enim Apoc. I. 4. introducuntur septem Spiritus, qui sunt ante Thronum, manifesto alluditur ad septem Lampadas Veteris Sanctuarii et Apoc. IV. 5. clarius adhuc hi septem Spiritus appellantur septem Lampades ignis, ardentes coram Throno. Neque aliud intentum Apoc. V. 6. ubi Agnus Dei repraesentatur

cum

cum Septem Cornibus & Septem Oculis, qui sunt Septem Spiritus Dei, emissi in omnem Terram. nqs. beatissimum nostrum Caput, unctum Spiritu Sancto ultra mensuram istas Septem Lampades, & Septenos Spiritus, ita possidet, ut illos communicet & accendat in omnibus suis membris atq ita opus Gratiæ & Gloriæ in iis consumet. In posteriore Contextu respicitur ad loca Zach. III. 9. IV. 10. ubi Similiter habemus Septem oculos super uno Lampade. Variant opiniones. Nos missis iis, tanquam indubitatum tenemus, hos esse Septem Oculos Agni Dei, & Septem illos Spiritus, de quibus, cum maxime loquimur. Quum ex ipso tanquam Capite reluceant atq dimanent in omnem Lucem & Gratiam Spiritualem, secundum illam ubertatem Unctionis Coelestis, qua Messias delibutus dicitur Esa. XI. 2. quum super eo residere dicitur Spiritus Iehovæ, i.e. Lumen Prophetium, adjectis deinde tribus paribus, nqs. Spiritu Sapientiæ & Prudentiæ, Spiritu Consilii et Roboris, Spiritu Cognitionis & Amoris Iehovæ, quæ numerum Septenarium complent, atq Sacrarium Dei collustrant & accendunt ad exercitium omnis Virtutis & Perfectionis, & tam in Gratia; quam in Gloria: quum Candelabrum, ex quo hi Spiritus resplendent, Coelum simul & Terras radiis suis perfundat, atq exhilaret. Sicut

III. Mensa aurea dapibus Coelestibus Coelestes omnes recreat, et epulis immortalibus explet, quarum his in Terris gustulus, ut ante dicebamus, tantummodo communicatur, dum in Fide ad eandem immortalitatem adspiratur. Gradum hinc nostro promovemus

D. In Sanctum Sanctorum. Hoc Penetrale nisi ad Coelum Supremum restringi non patitur itenim analogia Sacrorum

nostrorum, quae quidem priscis Fidelibus nil aliud
hic suggerere potuit, quam Communionem intimam
cum Deo, & familiarissimam admissionem ad Thronum
Gratiae, qui Thronus nullo amplius Velo obtegentur, sed
summa cum libertate Filiorum Dei posset adiri, quando
melior Oeconomia illuxisset. In hanc meditationem
nobis praeluxit Apostolus Hebr. IV. 14. sqq. habentes igitur
Pontificem magnum qui Coelos pertransiit, etc. acce-
damus cum Fiducia ad Thronum Gratiae. Et manifesta
Oppositio inter Pontificem Veteris et Novi Testamenti. An-
tiquus ille & umbratilis non poterat veram Expiationem
sistere, non poterat ergo delere omnem memoriam Pec-
cati, non poterat removere Velum ab intimo Sacrario,
non poterat, ne pro semet quidem jus impetrare acceden-
di jugiter ad Thronum Gratiae, quippe cui semel quot-
annis tantum concessum illuc pedem introferre. Longe
alia rerum facies sub nostro Pontifice, qui Velum sci-
dit, & jus Coeleste sibi & suis plenissime comparavit,
ut jam omnibus in Sanctum Sanctorum penetrare detur
etiam dum adhuc in terris versantur, quando quidem
Thronus ille Coelum simul & Terras implet. Item hinc
adspectus luculentissime nobis panditur Hebr. X. 19. sqq.
habentes igitur Fratres Fiduciam ad ingrediendum San-
ctissima ad ingrediendum in Sanguine Jesu, viâ no-
bis initiata recenti & viva per Velum, i.e. per Car-
nem ejus, & habentes Sacerdotem magnum super Domum
Dei, accedamus cum vero Corde in plena certitudine Fidei,
etc. Iterum Oppositio instituitur inter Vetus & Novum
Testamentum, atque ostenditur, sub meliore Oeconomia
liberrimum concedi ingressum non tantum in Atrium,

non

non tantum in Sanctum, sed etiam in Sanctum Sanctorum, quia Velum omne scissum atq abolitum, quum scissa fuit Caro Xti super Cruce, atq sic omne Peccatum penitus fuit conscissum & abolitum, absq ut unquam amplius intimum cum Deo Commercium prepedire, aut πληροφορίαν, plenam certitudinem Fidei imminuere, posset. Hoc respectu τὸ καταπέτασμα velum, quod Sanctum Sanctorum secludebat, vocatur Caro Xti, non sane generatim, ut intendatur Humana natura mediatoris, nam sic etiamnum remaneret illud Velum, manente adhuc illa natura: sed speciatim, ut designetur Conditio illa mortalis, qua Xtus in Carne mortali nostra peccata tulit, atq super Cruce abolevit. Hoc alibi ab Apto vocatur Caro Peccati Rom. VIII. 3. & praegnanti admodum Phrasi Coloss. I. 22. σῶμα τῆς σάρκος, Corpus Carnis. Hoc Corpore Peccatorum omnium remoto, & sacrificio initiata est, & manet perpetuum universo Sacerdotio Spirituali sub ductu magni Pontificis via recens & viva in Sanctum Sanctorum, ut quam proxime ad Thronum Gratiae accedant etiam hic in Terris, atque intima pace & familiaritate Dei perfruantur. Quum hanc viam vocat ibi Recentem in Sanguine Jesu, denuo oppositionem inter hanc Novam & illam Veterem, quae per Sanguinem Hirci Piacularis impetrata, statim vigorem suum amittebat, quum haec perpetuo vigeat ac floreat. Quum vivamque appellatur haec via, ostenditur Veterem fuisse mortuam quasi viam, quae nimirum nihil poterat praestare, quum haec cumulatissimum jus Vitae aeternae nobis conferat.

Ara-

Apparet ex omnibus hisce, Sanctum Sanctorum, ita Coe-
lestis Beatitudinis figurasse Sedem; ut simul tamen interi-
orem in Terris Communionem cum Deo complectatur, atq; haud
par esse, ut restringatur ad Statum Gloriae id quod Sta-
tum Gratiae quoq; sub ambitu suo comprehendit. Quum
per Sanctum Spiritum adducuntur Fideles ad ipsam Arcam
Foederis, super qua Mediator Dei & Hominum tanquam
super Solio Gratiae simul & Gloriae residet. Huc colli-
neabant loca superius explicata, Hebr. IV. 16. X. 19. huc etiam
Zach. VI. 12. apertissime respicitur, quum dicitur: ecce Vir,
cui nomen Germen, aedificabit Templum Jehovae, porta-
bit majestatem, et sedebit, ac regnabit super Throno suo,
eritq; Sacerdos & Pontifex super Throno suo. Opponuntur
Sacra vetera & umbratica novis & splendidioribus
illis, quae sub meliore Oeconomia obtinent. Quum
vetera adhuc manerent, Pontifex in Domo Dei exclusus
erat illo loco, ubi Thronus erat: at quum beatior illa
Oeconomia illuxisset, Pontifex simul & Rex in perpe-
tuum occuparet illum Thronum, atq; super Arca Foe-
deris resideret cum plenissima Majestate. Unde quis ul-
tro intelliget, Arcam Foederis non esse ipsum Xtum, sed
Thronum illum, quem ad Dextram Patris occupavit &
quem in Spiritu & Veritate nobis accedere Gratia dat-
quando ipsum viva Fide complectimur, ut per Gratiam
provehamur ad Gloriam. Omnia haecce clarissima in-
die relucent ex Hebr. XII. 22, 23. Accessistis ad montem Si-
onis, et ad Civitatem Dei vivi, Hierosolymam Coelestem,
& myriades Angelorum, Panegyrim et Coetum Primoge-
nitorum in Coelis Scriptorum, & Spiritibus Justorum Con-
summatorum, et ad Novi Foederis Mediatorem Jesum, &
Sanguinem Aspersionis, meliora loquentem, quam Abel.

Illud

Illustris hicce Contextus recludit nobis Spiritualem & Coelestem Conditionem Fidelium Novi Testamenti, atq inculcat, quicquid sub Vetere Testamento magnifice fuit depictum in Terrestri Hierosolyma ac Sacrario, id omne sub meliore oeconomia admirabiliter impleri per conspirantem Cultum Ecclesiae militantis & triumphantis, quibus jam omnia mysteria Foederis Gratiae patescant, & praesumendo praebeantur partim in Gratia, partim in Gloria Coelesti, ita ut omnes Sancti uno eodemq Spiritu animentur ad Spirituale ministerium junctis Sensibus & motibus Fidei, Amoris, & Admirationis, obeundum. Ut mentem meam plenius exponam, repeto, quod supra etiam insinuavi, unam esse Civitatem Sanctam, Hierosolymam Coelestem, quae ambitu suo omnes Electos, tanquam Cives complectatur partim glorificatos, partim glorificandos. In hac Coelesti Hierosolyma unum esse Sacrarium, praefiguratum per Tabernaculum & Templum, in quo omnes Thesauri Sapientiae, Justitiae, Sanctitatis, & Amoris Divini conspiciendi, et adorandi, refulgeant. Ut hoc Sacrarium aperiretur, atq sub ducta magni Pontificis concelebraretur ab omnibus, quibus jus Civitatis Coelestis donatum, Xtus per Passiones fuit consummandus, ut ita super Arca Foederis resideret ipse consummatus, & suos consummaturus. Hoc adspectu Apostolus insinuat Hebr. VIII. 4. Xtum, si in terris remansisset Pontificem nostrum esse non potuisse. Significatur, veram Sedem hujus Sacrarii, & hujus Cultus purioris sublimioribus esse in Regionibus illis Coelestibus, ubi Lux, felicitas, & immortalitas

sequant-

regnant, & ubi ab omni materiæ concretione liberi Spiritus excellentiori modo introspicere & perfrui possunt, id quod in Terris & in Conditione mortali nonnisi imperfecte, obscure, & tanquam per speculum apprehenditur.
§. his Asseveramus itaque, quicquid olim per Cultum Tabernaculi delineatum, id secundum omnes gradus, per quos processimus, multo adhuc illustrius in Cœlis compleri, atque ibi a Panegyri Sanctorum ministerium illud Sacerdotale ita concelebrari, quemadmodum in præcedentibus delineatum: quandoquidem & hic Atrium, Sanctum & Sanctum Sanctorum, distincte suis quoque Ornamentis observantur adorantibus Dei & Agni, qui tanquam mactatus coram Throno adstat, Septem Spiritibus Thronum illum collustrantibus, & totum Sacrarium jubare Divino perfundentibus.
Ut res abstrusissimas, & longe supra Captum evectas, utcunque tamen attingamus, & adumbremus rudiore penicillo,
52. Exordiamur ab Atrio, quod neutiquam a Sacrario Cœlesti excludendum, quippe quod constituat fundamentum & firmamentum ejusdem, quandoquidem ibi magnum Opus Justificationis & Sanctificationis jam peractum in Sanctis atque consummatum, debitis tamen laudibus agnoscitur ac concelebratur. Hoc adspectu
I. Jam ejus, ipsosque Cœlites vel maxime circumire & festiva tanquam Corona circumcingere Altare Dei, quod in Atrio erectum, illa religione ac veneratione, quæ omnes nostros Conatus longe longeque superscanderet. Diximus, et prostravimus, hocce Altare Holocaustorum pervigili suo igne

Sacratum Victimis adolendis figurasse Justitiam Dei Vindicativam, quæ ut rigide exigeret Piaculum, ita clementer quoq admitteret, per Sponsionem tanto muneri sustinendo idoneam. Hujus jam tremendæ in Deo Virtutis intimo & profundissimo Sensu percutiuntur, penetrantur, toti occupantur, quippe qui infinitam ejus vim proxime introspiciant, pleni lumine immensæ majestatis sine ulla nube, ullo velo reliquiarum peccati, quod nobis hanc Veritatem perpetuo intercipit. Nos quidem in nostris hisce tenebris, & Sordibus, quibus immergimur undique & circumvallamur in mortali & corrupto nostro Statu, si non tantillum resipiscamus, sentimus, quam terribile sit illud fulmen, quod omne peccatum æterno mactat exitio, atq velut æstu perenni exardescit adversus omnem transgressionem, unde nonnisi per infiniti ponderis & pretii satisfactionem eripi detur. Sed tamen ne ad millesimam quidem partem tantæ illius ut Veritatis; ita Virtutis Divinæ, ascendere possumus, atq quidquid hac de re vel concipimus, vel ore exprimimus, mera est infantia, & balbuties. At Panegyris illa Cælestis supra omnes nebulas Carnis subvectas, Sacro horrore perfunditur, et subsidit ad Conspectum patentissimum, atq ut ita dicam, denudatum, illius justissimi rigoris & Vindictæ Sanctissimæ, quæ ne Angelis quidem pepercit, sed eos e celso domicilio Beatitatis, in quo collocati erant primitus, detrusit ad inferos, & Catenis Tenebrarum conclusit, adservandos tremendo die Judicii, quæ etiam verme nunquam emorituro, & igne nunquam restinguendo læsam majestatem vindicabit.

vindicabit infinita mole irae, effundenda in eos, qui consimili cum Angelis lapsu semet implicuerunt. Est hoc aliquid, in quod omnes nostri Sensus, dum in Corpore peccati haeremus, plane hebent, atq; veluti obstupuerunt, stupore isto non discutiendo, nisi per abolitionem & depositionem illius jugi peccatorum, sub quo jam captivi attinemur: ut sane hoc adspectu dicere liceat; nos tum demum Altare Dei rite veneraturos, quando in Coelestes Sedes nobis commigrare dabitur, ut ibi propiore conspectu, & profundiore Sensu magnificae hujus Veritatis et Virtutis penetremur. Licet in eandem hanc materiam alio adhuc adspectu inspicere, atq; Sublimioris, qui in Coelis peragitur Cultus Specimen illustre praebere. Etenim tunc quoque Coelestis Panegyris Altare Holocaustorum circuit, atq; infinita adoratione contemplatur, quando junctis vocibus Sensibusq; concelebratur memoria maximi illius Sacrificii & Piaculi, quo Agnus Dei semel immolavit, atq; nostrae maledictioni & morti subjecit. Enimvero his in Terris renovamus memoriam Crucis a Domino Jesu exantlatae, quando piis & Sanctis motibus Fidei nostrae eum nobis depingimus & ante oculos proponimus ut crucifixum, mole maledictionis nostrae onustum, fulmina irae Divinae pro nobis excipientem, & ita peccatum pro nobis factum, ut nos redderemur Justitia Dei in eo. Verum enimvero omnes illi motus Sensusq; quantumvis intenti, commoti, ardentes infinitum quantum subsidunt infra dignitatem, magnitudinem, pretium & pondus tantae Victimae Piacularis, tantae mortis exantlatae, tantae maledi-

ctionis

maledictionis exhaustae, tantae redemtionis perpetratae & impetratae. Quicquid itaque hac de materia vel mente informamus; vel verbis exprimimus; mera infantia est, mera balbuties. Soli Coelestes Chori in hoc redemtionis & religiosae adorationis centrum aptis viribus, motibus ut penetrare; ita Deum in Redemtore celebrare, & adorare valent. Est hoc haud dubie argumentum inexhaustum, quod semper novam laudis materiam suppeditat, novam admirationem parit atque ita gloriam Evangelii, in facie Jesu Xti resplendentem, quatenus ut Victor peccati mortis & Diaboli ad dextram Patris sedet, jugiter recentant, atque frequentant. Alia bene multa profundius hic meditanti, atque filum hocce prosequenti, ultro affluent. Nos speciminis loco hisce contenti

II. Progredimur ad Lavacrum mysticum, fontem illum Regenerationis & Sanctificationis, per quam ad Glorificationem perducitur Corpus Sanctorum. In Terris quidem Sacerdotes Spirituales inde hauriunt, ut viva principia; ita vivosquoque sensus horum Beneficiorum, quae ex Foedere Gratiae redundant. Interim tanta illa sunt, tamque splendida, ac magnifica, ut a nemine, needum exuto a Corpore mortali, ita inspici ac persentisci queant, quemadmodum eorum dignitas & Coelestis splendor requirit. Certe nemo in Terris adhuc aquis infinitam illam Corruptionis nae & labis turpitudinem introspexit, & recepit, quantum sit per Dei Spiritum regenerari, et perenni

introspexit, quae nonnisi Sanguine Filii Dei expi-
ari, & aqua Spiritus ejus elui potuit. Nemo promi-
de satis alte perspexit & percepit, quantum sit
per Spiritum Dei regenerari, & perenni ejusdem
operatione tanquam nova Creatura ad plenam
possessionem imaginis Divinae renovari. Hoc tale
est ac tantum; ut nonnisi a Coelesti Coetu illumi-
natis oculis summa cum admiratione, super sen-
sus quasi queat, & debitis laudibus concelebrari. Exem-
plum habemus illustre Spiritualium ac vere Coe-
lestium Cantuum super hocce argumento, Apoc.
V. 11. et alibi. Licet itaque affirmare, Choros Beo-
rum, ut Altare, ita Lavacrum quoque in Atrio
positum circumcingere, non ad reliquias Sordium
repurgandas, sed ad opus Sanctificationis jam con-
summatae in se, & debita admiratione & adora-
tione prosequendum, Angelisque in eandem har-
moniam convenientibus, & magnificentiam Thesau-
ris Gratiae concelebrantibus. Addatur Apoc. XV. 2.

ב. Intrantibus in Sanctum porro se se offert consideratio
I. Altaris aurei sublimior, praeeunte Textu S. Apoc.
VIII. 3. Quum enim in illa repraesentetur potentissima in-
tercessio magni nostri Pontificis ad Dexteram Patris,
quilibet ultro sentit & agnoscit, Coeleste hoc
opus & munus a Coelestibus potissimum clara & in-
connivua acie posse attingi. Nostri certe oculi,
quantumvis Spiritu Gratiae illuminati hic fere he-
bescunt, & nonnisi confusas quasdam de tanto Filii
erga nos Amore, quo etiamnunc, tanquam Pontifex

Sacer

Sacrum opus peragit, & Redemtionis suæ efficaciam applicat, mente nostra formare, ac volvere possumus ideas. Et tamen hæc eminentissima pars Pontificalis Xti muneris, quod vel maxime devenerationem nostram sibi vindicat, quia in eo fundamentum & firmamentum Spei nostræ repositum, secundum id, quod cuiq Systema suæ Theologiæ hic suggerit. Cernunt itaq gloriosi Cives Coelestis Sionis Pontificem jugiter odores Sacros Suæ intercessionis cremantem, ut universus Cultus omnium Sanctorum per efficacissimam istam & Virtutem ac potentiam simul consecretur, omnisq adeo adoratio vel in Terris, vel in Coelis facta, coram Deo adscendat in Suavissimam fragrantiam. Debemus autem in hoc actu Pontificali nobis ante oculos proponere illos purissimos, tenerrimos, flagrantissimos, simul & fragrantissimos motus Charitatis erga Deum hominesq qui ex Corde Mediatoris exhalant, quiq igne Spiritus Sancti, quo totus ardescit, renovant infinitum illud pretium mortis Expiatoriæ, per quam magnum opus Redemtionis perpetravit, sibiq jus cumulatissimum comparavit id postulandum: Volo, ut ubi ego sum, illi quoq sint, quos mihi dedisti. Profunditas & sublimitas materiæ ulterius jam alas nostras explicare vetat, talis enim sensus Coelesti magis regioni conveniunt. Ac proinde illuc nobis omni nisu contendendum & adspirandum, ut inter Coelestium Choros aggregatis maximum hocce opus & munus Mediatorium propius persentiscere, venerari & adorare detur.

II. Aud.

II. Accedimus ad Mensam auream, cujus vel maxime usus in Coelis apparatus conspicitur ac percipitur: in terris enim tantum praegustatio quaedam primoribus veluti labiis libatur; quum in Coelis immortales illae dapes quam affluentissime hauriantur: ibi enim demum conceditur expleri pinguitudine Domus Dei, atque ibi ex torrente Deliciarum ejus beati chori jugiter inundantur, ac velut inebriantur.

III. Candelabrumque quoque aureum hic vel maxime splendidissimum suum jubar effert, atque beatorum oculos animosque vero lumine complet. Diximus supra, Luminare illud a nobis considerari tanquam emblema Spiritus Sancti, Septemplici lumine praefulgentis ad Domum Dei collustrandam, et omnium Pandiorum, atque Ornamentorum Coelestium splendore complendam. Hinc jam perfacilis applicatio ad praesentem nostrum Scopum: qui enim per Gratiam admissi ad primordia Gloriae: & beatae immortalitatis, jam in pleno die radiare cernunt, quod in terris constituti per nubeculam adspectabant, atque introducuntur ad hosce radios in amplissimum illum conspectum admirabilium illarum virtutum, quae ex Xto, tanquam Sole Justitiae praefulgent, atque inde simul inexhausto gaudio implentur: estque huic Sedi vel maxime conveniens, ut exclametur: In Lumine tuo, ô Deus! perspicimus lumen.

IV. Penetramus tandem in Sanctum Sanctorum, ubi omnia satis obvia ac plana: nemo enim vel minimum adoubitat,

quin s. per illud interior ac familiarissima cum Deo Communitas fuerit praeumbrata, Coelesti potissimum Statui ea veniat applicanda. In Terris quidem Sanctum Sanctorumque quoq adire & intrare conceditur, sed quamdiu mortalitas manet, tamdiuquoq remanet, ut ita dicam, pars quaedam Veteris Veli, quod quidem Scissum in Cruce Xti, atq pro jure ac impetratione Salutis etiam abolitum; sed pro applicatione ejusdem Salutis, & pro plena usurpatione Juris, necdum ita remotum, quin reliquiae peccati membris mortalibus inhaerescant. Quum ergo illae etiam reliquiae per mortem exuentur, atq deponentur, tum demum revelata facie, remoto omni impedimento propius in Sanctum Sanctorum intromitti dabitur, atq ad gloriosissimum Thronum Dei & Agni proxime adstare: quemadmodum nunc Panegyris Coelestis illo amplissimo & patentissimo Conspectu perfruitur.

CAPUT X.

CAPUT X.
DE
SYNAGOGIS.
§. III.

De Origine & Antiquitate SYNAGOGARUM magna et satis momentosa Quaestio agitatur, non sine aliquo inter Fratres Partium studio; quia influit in Capitalem illam Litem de SABBATHO SANCTIFICANDO. Quippe

נ׳נ׳. Plerique, antequam auctoritas C. Coccei praevaluisset, statuebant, inde ab initio Reipublicae Israëliticae, primoque ingressu in Terram Sanctam, Synagogas, sive Coetus Publicos, certis Locis adligatos, obtinuisse, una cum Cultu Publico, ibidem diebus Sabbathi obeundo.

בב. Alii contra contendere, et acriter pugnare, illos Coetus, illasque Congregationes Sabbathicas, una cum Synagogis, post Captivitatem demum Babylonicam incepisse: quamvis in ipso tempore constituendo non consentiant, qui hasce partes fovent: qua de re aliquid deinceps subjungetur.

Argumenta, quibus utrinque decertatur, in aciem veluti eduxisse operae pretium erit: ut quaenam instructissima sit, et validissima, distincte expendi queat: vel potius,

ut ex illa ipsa lustratione Copiarum, quibus pugnatur, dignoscatur, mediam aliquam viam ac rationem esse observandam: ne nimium vel hinc, vel illinc, tendendo, in excessum eatur, Veritati, et Charitati, inter Fratres, inimicum.

NN. Acies, pro primaeva Antiquitate Synagogarum militans, hac serie a nobis ordinatur, ac instruitur, ut

AA. Principe loco veniat Obligatio Religiosa, non privati solum; sed et publici, Cultus celebrandi, illo praesertim die, qui totus Deo Sanctificandus erat. Hinc ambigi non posse videtur, quin in Urbibus, aliisque sedibus Terrae Sanctae frequentioribus, consecrata fuerint Loca quaedam publicis congregationibus Fidelium, ubi mutua aedificatio, & Religionis Sanctissimum Studium, frequentaretur.

BB. Idem hocce Argumentum specialius adhuc adstringitur ex Institutione Sabbathi. Haec per Excellentiam vocatur מִקְרָא קֹדֶשׁ Convocatio Sanctitatis. C. Coccejus tamen, quique Vestigia ejus sequuntur, Formulam istam vertere maluerunt; Promulgatio Sanctitatis, simul contendentes, nullam hac Phrasi intendi Convocationem aut Congregationem Sanctorum; sed tantummodo sanciri rigidam Quietem, per quam Sanctificatio Sabbathi absolvatur. Fatendum enimvero, illud

רא

illud מִקְרָא non necessario, per se, ubique, et semper, inferre Convocationem. Multo minus subscribere possem C. Pissetio, figuratius Vocabulum hocce in Quaestione urgenti, prementi, et contendenti, vertendum esse per Convocationem ad Epulas Verbi Celestis, publice praelegendi, et commeditandi. Hoc exsculpit ex peculiari usu thematis קרא vocavit, quod saepiuscule occurrit pro vocare ad Epulas, invitare. Sed neutiquam verisimile, Latorem ista Figura sic absoluta uti voluisse. Simplicior Norma Interpretandi exigit, vel Convocationem Sanctitatis, vel Proclamationem, sive Promulgationem. Si prius obtineat; per se stat, vigetque Consequentia, inde deducta, pro Antiquitate Coetuum Publicorum. Si posterius pressius urgeatur; ne quidem sic Argumentum infringetur: quatenus talis Promulgatio Sanctitatis, vetans omne Opus, omnino simul inferebat Obligationem Religiosam, tali Vocationi, et Quieti, convenientem, in Publico aeque ac Privato. Conf. Levit. XXIII. 3, 4. 7.

CC. Subjungimus insigne Testimonium Apostoli, Act. XV. 21. quum ait; Moses habet ἐκ γενεῶν ἀρχαίων eos, qui ipsum adnunciant κατὰ πόλιν, in Synagogis omnibus, omni Sabbatho praelectus. Aliquot Instantiis hinc utuntur Viri Docti: quarum

αα. Est, quod signatissime dicatur, ἐκ γενέων ἀρχαίων: quae Phrasis videtur vocare ad tempora vetustissima potius, quam ad recentiora post Captivitatem demum Babylonicam. Nempe ἀρχαίων resolvi potest in ἀπ' ἀρχῆς, inde ab initio, ab antiquitate ultima.

ββ. Est, quod quum tam diserte inculcetur; Mosen habuisse tales, qui eum praelegerent inde ab antiquissimis temporibus; ista praelectio ita videtur adligari ejus Legislationi et Ministerio, ut inde revelli non possit: hoc est, non videtur posse statui legitime, longum temporis fuisse, longa intervalla, eaque post Captivitatem Babylonicam, quibus Moses non habuisset, qui eum publice praelegerent in Synagogis: ea enim suppositione Apostoli assertio, atque evictio, infirmaretur. Tandem

γγ. Non leve pondus ac momentum adfert illud κατὰ πᾶν Σάββατον. Nam & ista Phrasis videtur insinuari, praelectionem publicam Legis arctissimo vinculo connexam esse cum Religione, et Sanctimonia Sabbathi.

DE SYNAGOGIS.

DD. Pro Synagogis antiquioribus, et longe ante Captivitatem Babylonicam ubique reperiundis, adducitur Ps. LXXIV. 8. Dixerunt in corde suo; enervabimus illos pariter, concremaverunt Universitatem מוֹעֲדֵי־אֵל Conventum Dei in Terra. Vocabulum מוֹעֵד signat Conventum, et Locum Conventus Publici. Ac proinde satis eminens Character Synagogarum hic cernitur.

aa. Clar. Vitringa tamen existimavit, illud vocabulum posse restringi ad Templum, et Plur. Numerum pertinere ad Dignitatem et Excellentiam. Sed id coactius esse, quivis sentit: praesertim adjecta vocula כֹּל Universitas, subjectaque quoque voce בָּאָרֶץ in Terra, quod offert universam Terrae latitudinem et amplitudinem.

bb. Speciosior Hypothesis Clar. Burmanni, Synagogas quidem singi concedentis, sed post Captivitatem demum Babylonicam exoriundas, ad quae tempora hunc Psalmum Prophetice pertinere censet.

EE. Pro Synagogis Vetustioribus adduci video a Clar. Lightfooto, aliisque, vocabulum בָּמוֹת Alta, 1 Sam. IX. 19. 1 Reg. III. 2. Plerumque quidem adhibetur pro Locis celsioribus, in quibus Idololatria

tria

latria vigebat: Sacellis quoque, in Vertice montium consecratis. Nihil interim obstat, quominus idem Vocabulum complectatur Aedes Deo Sacratas, et legitimo Cultui Publico dicatas, quales istis in locis requiruntur, quas fuisse Synagogas, inde colligunt.

FF. Ad easdem revocari deprehendo alia adhuc loca, non ita quidem expressa, sed Vestigium saltem aliquod offerentia: ut Jos. XXIV. 26. ubi memoratur quercus, quae erat in Sacrario Domini. Atqui ad מִקְדָּשׁ Sacrarium stricte sic dictum, sive Tabernaculum, nulla arbor plantari debuit, Deut. XXVI. 21. Ac proinde concluditur, laxiore usu id Vocabulum jam venire, et Synagogam potius designare. Similiter proceditur ad Ps. LII. 10. Et ego, tanquam Olea propendula, in Domo Dei. itemque Ps. XCII. 14: Plantati in Domo Dei, in Atriis Jehovae florebunt. Haec neque Tabernaculo, neque Templo, convenire existimatur, quum nullae ibi arbores permitterentur. Ac proinde concluditur, de Synagogis potius cogitandum. Neque enim par esse, ut, quamvis Figurata sit Oratio, Littera in totum negligatur: quum omnis Figura ex Litterali Veritate debeat efflorescere.

GG. D

GG. Ducitur Argumentum ex mentione satis creberrima in Sacris de Scholis Propheticis, et Filiis Discipulis Prophetarum, 2 Reg. II. 3. 5. 7. IV. 1. 38. V. 22. VI. 1. IX. 1. &c. Non tantum ibi vigebat Institutio privata; sed et publica. Atque adparet ex 2 Reg. IV. 23. Sabbathis et Noviluniis, aliisque diebus Festis, illuc conventum fuisse ad Consolationem et aedificationem in Fide ab iis, qui studio Religionis ducebantur.

HH. Urgetur Institutio et Conservatio totius Ordinis Levitici, una cum Sacerdotibus: non alium utique in finem, quam ut labia eorum Doctrinam conservarent, atque Veritatem in Israële propagarent, ac super Candelabro collocarent, Mal. II. 4. 7. Deut. XXXIII. 8, 9, 10. Levit. X. 10, 11. In eundem huncce finem ac scopum attributae illis XLVIII. Urbes, cum suis sibi Agris, per Universam Terram Sanctam, juxta facta descriptione et dimensione, ut haberent videlicet Israëlitae, quorsum confluerent ad Religionis Principia ex eorum ore haurienda.

II. Ultimum denique Argumentum sumitur ex Josepho Lib. II. contra Appion. adserente; a Mose institutum esse, ut singulis Sabbathis omni opere vacui ad Levi conditionem conveniretur. Idem testatur Philo Judaeus diversis in locis.

Idem

Idemquoque Maimonides in Constit. de Orat. quum ait; Mosen sanxisse, ut Lex publice Sabbathis praelegeretur. Atque haec satis constans Sententia omnium Rabbinorum.

Lustravimus primam Aciem, quae pro Antiquitate et Perpetuitate Synagogarum educitur. Recensebimus

בב. Aciem, quae adversus hancce instruitur pro Recentiore earundem Origine.

aa. Urgetur principe loco altum de Synagogis silentium in tota Historia Sacra: quae enim inde adduci soleant a quibusdam, neutiquam satis clara et expressa esse: quippe quae aliud aliquid potius designare videantur, quam Ordinarias hasce Aedes & Sedes publicorum Conventuum per universam Terram disseminatas, et omnibus in Urbibus frequentatas. Cam. Vitringa hoc Argum. fuse exequitur de Synagog.

bb. In idem silentium fortius adhuc insistitur, quod ne ibi quidem commemorentur Synagogae, ubi earundem mentio expressa requirebatur: ut Thren. 1.10. ubi deploratur excidium et Vastitas Templi, publicique adeo Cultus profanati, desolati, penitus exstincti, absque ut quidquam de tot Sacris Conventibus, ubique locorum disjectis et destructis attingatur.

dd.

dd. Magnum & invictum praesidium collocatur in eo, quod 1 Reg. VIII. 16. diserte negetur, Deum ulla in Domo habitasse antea, quam Templum extrueretur: itemque v. 30. Ac proinde Templum, tanquam commune Oratorium universae Gentis, unum et solum consecratum fuisse Publico Cultui concelebrando. Hoc longe lateque deductum a Viris Doctis in Compendium misi: atque fateor adversus Rabbinos, aliosque, qui Synagogis Sanctitatem quoque eminentiorem adtribuunt, sic satis stringere. Neutiquam tamen tam validum esse, ac vulgo censetur, postmodum ultro sentietur.

ee. Huic vicinum argumentum desumitur ex Jejuniis Publicis, non ad Synagogas, sed ad Templum ipsum evocato universo Populo, Jer. XXXVI. 9, 10. Joël. I. 14. II. 15. 2 Chron. XX. 3. Hoc neutiquam necessarium fuisset, inquiunt Viri Docti, si extitissent Synagogae, et Conventus Publici, per Urbes frequentandi, etc.

ff. Vehementer urgetur gravis illa ac crassa ignorantia Legis, quae saepe universum Populum oppressit, ut Jud. XVII. 6. habemus: illis diebus non fuisse Regem in Israële, & unumquemque fecisse, quod bonum in oculis ejus: omni Disciplina, omni Religione videlicet conculcata. Disertius adhuc 2 Chron. XV. 3. quem locum

Auct.

Autor quoque noster tangit in nostra §. multi dies fuere in Israële, quibus nec haberet Deum verum, nec Sacerdotem docentem, nec Legem. Inferunt inde, nunquam eousque tenebras inalescere, atque tanquam nocte communi incubare potuisse, si stati Conventus Sabbathici obtinuissent.

gg. Specialius in idem hocce insistitur ex Historia Josaphati 2 Chron. XVII. 7, sqq., qui dicitur, per universam Terram dimisisse, qui Populum Legem oblivioni traditam edocerent, atque exstinctam veluti Doctrinam resuscitarent. Adjicitur

hh. Historia Josiae Regis, gravioribus adhuc Circumstantiis idem perrincens, 2 Reg. XXII. 10. XXIII. 1, 2. Quin Clar. Burmannus hinc colligit, adeo non Sabbathicam Mosis Lectionem viguisse, ut ne quidem solennissima illa singulis septenniis concelebranda, ex Deut. XXXI. 10, sqq: obtinuerit.

ii. Idem ille Magnus Theologus posteriore Contextu Deut. sic utitur, ut inde effici autumet, nullas Ordinarias Lectiones Sabbathicas a Mose institutas, quia tunc supervacua fuisset haece Septennalis renovatio & repetitio Legis. Subtexitur

kk.

DE SYNAGOGIS.

kk. Et, tanquam cumulus imponitur; quod ne ipsi quidem Judaei Synagogas altius repetant quam ab Ezra. Hoc Auctor quoque ad finem §. illuc ipse inclinans, subtexuitque quoque, in primis Edit., at postrema insertum voluit: quod totum nervum Argumenti elidit, Synagogarum ritus, uti nunc in usu sunt: hoc enim nemo doctus aut prudens contenderit, a Mose ipso illas Caerimonias Synagogarum praescriptas et sancitas, quae postremis Reipublicae temporibus obtinuerunt.

Est in duplici hac Acie Argumentorum aliquis excessus, &, quod ante dixi, aliquid fermenti, unde non sine studio quodam partium hic proceditur. Certe, ut a postrema serie, quam pertexui, redordiar, perfacilis est responsio ad plerasque, atque adeo omnes illas Instantias. Quod enim attinet

a. Ad silentium illud profundum de Synagogis; id, ut in prima serie visum, aliis aliter placitum est, qui utique mentionem earum satis multis in locis fieri contendunt. Concedamus interim, illa loca esse ancipitia, et aliam recipere explicationem; ne sic quidem ex silentio illo satis valide, aut tuto concluditur: quia Sacra

Histor

Historia utiq non id agit, ut omnem ordinem rerum accurate percenseat; sed compendiosum tantummodo ordinem percurrit Eventuum, nulla ansa peculiari porrecta ad Conventus Sabbathicos, aut Synagogas, &c.

b. Profanatio illa Templi, quae deploratur Thren. 1.10. neutiquam excludit profanationem Synagogarum, tam parum; quam ipsius Terrae Sanctae. Commemoratur autem Templum, tanquam arx & caput Religionis, quo conculcato ab Hostibus impuris, omnis ubique Religio conculcata et obtrita jacet.

C. Quod solum Templum adpelletur Domus Dei, quam inhabitare velit, haud dubie habet altiorem sensum atque adspectum. Nempe respicitur ibi gloriosa illa habitatio inter Alas Cherubinorum super Arca Foederis, per quam Templum eminentissima quadam Sanctitate adsurgebat supra ipsam Urbem Sanctam, atq supra omnia reliqua spatia Terrae Sanctae. Imprudentior ergo est calculus etiam quorundam ex nostris Theologis, pro Antiquitate Synagogarum pugnantis, Deum etiam in illis habitantis, et resedisse, contendunt: huc imprudentius adplicito, vel detorto potius loco Exod. XX. 24. Infelicius quoq subducta ratio Rabbinorum, qui iisdem Synagogis indicant eximiam quandam Sanctimoniam ut S.II. hujus Cap. deprendere

erit

erit. Adversus hosce valet et stringit hocce Argtum, quod Cel. Vitringa praesertim instantissime ursit. Sed si temperetur immoderatior illa, qua Judaeorum, qua Christianorum, sententia, et nihil eximiae Dignitatis attribuatur illis locis, ubi Conventus Publici habebantur; jam omnis acies hujus Objectionis ultro hebescet. Ad

d. Argtum, ex evocatione totius Populi ad Templum in solemnioribus Jejuniis, responderi potest, et debet; hic eandem obtinuisse rationem, quae in tribus Festis majoribus obtinebat. Illis enim statis et solennioribus comparitionibus praesentia requirebatur totius populi, in unum Corpus semet coram Deo conjungentis veluti, atq una Mente, una Voce, sese sistentis. Quando dicimus totum Populum ita confluxisse, intelligimus, Viris id praecipue Officii incubuisse, & quidem iis, qui Valetudine aut imbecilitate non impediti, pedibus Hierosolymam contendere possent. Mulierum libertati relictam quoq fuit domi remanere. Non ergo omnes omnino Israëlitae, qua Viri, qua Foeminae, in illis Solemnitatibus comparebant, et merito jam colligere licet, quum ita se Coetus Israëlis in Jejuniis Publicis coram Deo prosterneret, et humiliaret ad Templum, neutiquam ab ista humiliatione cessatum fuisse in reliquis sedibus Terrae Sanctae ab iis,

qui do-

qui domi remanserant, ut consimiliter ad Supplicationes privatiores illas, una mente, uno Ore, a Piis saltem conveniretur.

e. Breviores erimus ad reliqua, atq ad Vtum, VItum, & VIImum, una defungemur Responsione. Tristissima fuisse illa tempora, quibus per dominantem Profanitatem & Idololatriam omnis Religio & Veritas exstincta jacebat. Quod quidem arguit summam Rei Divinae dissipationem; neutiquam tamen pervincit id, quod in Controversia hacce disputatur. Insuper ad VIIIvum Argtum

f. Ansa relinquitur Retorsioni. Si enim expressa Sanctione cautum, ut singulis Septenniis publica Praelectio, & solemnissima illa Recitatio totius Legis coram toto Populo institueretur, ne oblivisceretur Mandatorum Dei, eo ipso necesse est, Sabbathicas quoq obtinuisse ejusdem Legis Explicationes, Illustrationes, Adplicationes. Illa enim Septennalis Solemnitas coram universo Coetu Israëlis in Festo Tabernaculorum celebrata neutiquam idonea fuisset ad Populum de Officio suo instruendum, atq tantum eum in finem fuit instituta, ut tanto Religiosius in Religiosissima & Sabbathica hacce Septennii Promulgatione Legis domesticum ejusdem studium omnibus commendaret,

atq

atq inculcaretur. Quod pro ratione illorum temporum sine Synagogis fieri non potuisse videtur.
ϛ. Deniq IXni & ultimi Argti nervum jam ab Auctore nostro incisum, supra submonuimus. Quum enim de Antiquitate Synagogarum disquiritur, non spectatur earundem Cerimonia omnis, & Ordo Sacrorum, quemadmodum postremis temporibus ille obtinuit: manifesta enim sunt vestigia & indicia Novitatis, quin imo Vanitatis & Superstitionis Pharisaicæ, quæ tunc tempestatis regnabat. Sed id tantum in Controversia positum; an ulla veri specie adseverari queat; nec Sabbathis Publicos unquam Conventus viguisse, nec Mosem istam Religiosam Obligationem religiosissimo diei adnexuisse. Hæc duo rite distinguenda, neq enim sine discrimine loci intricata Quæstio satis potest extricari & explicari.

Non adcurati satis propterea Viri Docti etiam in prima acie ordinandæ: quippe quum Argta ibi exposita non evincant utramq simul partem, sed vel hanc, vel illam, potissimum comprobent; utiq

α. Jam Imum & IIdum magis arguunt, quid Israëlitæ debuerint facere, quam quod fecerint.

β. Porro IIIumquoq illud non tam validum & invictum quam multi censent. Certe connexio isti Opinioni

non om-

non omnino favet, & ἀπὸ γενεῶν ἀρχαίων etiam quatuor vel quinq Secula antegressa denotare posse nemo jure inficiatus fuerit.

γ. Etiam IVtum, Vtum & VItum, nihil admodum efficiunt: saltem si inde tam liberaliter concludatur ad Synagogas omnibus in Urbibus, Pagis ac Vicis Sacratas.

δ. Item VIImum non tam ad Synagogas nos vocat, quam ad Seminaria Doctrinæ pro iis, qui, vel Ordinariam Legis scientiam, vel extraordinariam quoq, sub influxu Spiritus Prophetici recipere gestiebant. Apparet etiam, et abunde jam a V. D. demonstratum, scholas illas Propheticas illuc destinatas fuisse, ut Donum & Lumen Propheticum hoc pacto piis Adolescentibus et Juvenibus insinuaretur, & Deo pararentur idonea Instrumenta, quibus ad Extraordinarias potissimum Functiones uteretur.

Quod vero instetur ex 2 Reg. IV. 23. plus officit, quam proficit. Liquet enim inde Mulierem Religiosam ad Prophetam ventitare solitam peculiari quodam Zelo. Jam vero nemo negat, Prophetas Conventus celebrasse suæ Domi, ibiq admisisse, quos dignos judicassent tali Honore & Amore. Nemo etiam neget, Religiosiores Israëlitas, Sabbathis, Noviluniis, aliisq Sacris diebus verbum Consolationis et Aedificationis

ex Ore Virorum Dei requisivisse saepe, atq hausisse. Haec omnia interim Quaestionem nostram, ne attingunt quidem, nedum ut eam decidant.

7. Praecipuum robur VIII. consisteret in amplissima illa Occasione, quam Deus Israëlitis procuravit ad Doctrinam Legis ex Ore Legisperitorum imbibendam. Quod ut nemo iterum in dubium vocaverit; ita neutiquam inde id efficitur, quod disputatur; neq satis justa est Conclusio ad Synagogas omnibus in Urbibus, Pagis, Vicisq frequentioribus erectas.

8. Postremo & IX. loco, auctoritates illae, Josephi, Philonis & Majmonidis, aliorumq, qui Synagogas a Mose institutas tradiderunt, videri possent magis respexisse, quid Moses perpetuo voluerit observari, quam quid jugiter observatum sit. Si ulterius aliquid intenderint, nimium indulserunt Opinioni Suorum temporum, de qua adhuc inferius nonnulla submonebo. Pharisaei enim, ut omnia sua; ita Synagogarum quoq eandem illam Caerimoniam, quam ipsi condiderunt, e monte Sinai derivant per Traditionem suam Oralem. Hoc ut nemo Christianus unquam admiserit; ita addubitari non potest; quin Lator non solum privatam; sed & publicam Legis suae commendaverit meditationem. nihil enim magis ubiq inculcat; quam, ut Mandata &

Statu

LIBER I. CAPUT X.

Statuta Dei habeantur pro unicis Ornamentis, Deliciisq, atq ut sint tanquam Monilia, quæ fronti præpendeant, i.e. quibus in publicum prodeant, seq Sancta quadam gloriatione ostentent, & efferant. Quum idem Lator Sabbathum appellitat מִקְרָא קֹדֶשׁ vel Convocatorem Sanctitatis, vel si id magis placuerit, Promulgationem; iterum abiq; nequit, quin Exercitiis Sanctis diem illum Consecrari jusserit. Ubi jam ratio, religio, & res ipsa ultro suggerunt, quantumvis nihil expressis verbis mandetur, ista Exercitia non tantum privata, sed & publica, esse concipienda. De jure ergo nihil dubitationis videtur relinqui, atq intra hos fines semet ultro constringunt, omnes illæ argumentationes, quas sub prima acie lustravimus. Obligatio quoque religiosa Israëlitarum ad tales Sabbathicos Cœtus obeundos mihiquoq nulla cum ratione in dubium vocari posse videtur: nam profecto nimia esset illa laxitas, quæ tali vinculo Gentem peculiari Latione Dei honoratam penitus exsolveret. Insuper dubitationi exemptum existimo, Doctrinæ Cœlestis amantes et reverentes hac in parte Officium suum, tum privatim,

tum publice, explevisse, quantum quidem dabatur pro conditione locorum, temporum, & Occasionum.

Necdum interim cuncta haecce perimunt id, quod in Controversia hacce agitatur: non enim quaeritur, quid fieri debuerit, & religiosioribus quibusdam observatum; sed quid factitatum sit a plerisque, & usu perpetuo observatum, per secula Veteris Oeconomiae? Intra hos Cancellos si se continerent pugnantes Acies, maxima pars Certaminis ultro concideret, & animosiores illae lites, quae Fratres diriment, facile sopirentur. Sane si quis oculo attento perlustraverit Secula, quae ante Captivitatem Babylonicam decurrerunt, densissimam semper caliginem reperiet, gravissimam Confusionem rebus Israëliticis incubuisse, quae Religionem publicam vix paterentur constabiliri. Josuae quidem tempora in Terra Promissionis expugnanda, sub perpetuo strepitu armorum proinde effluxerunt, et sub fluctibus inde oriundis illi dies abierunt. Quos decessum mox subsequuta est publica defectio & contemptio Religionis, cum studio perditissimo Idololatriae, juncta etiam cum Cananaeis Societate, quominus eos debellarent, atque exstirpare pergerent. Hinc alia gravia in

LIBER I. CAPUT X.

Nationem rebellem judicia Numinis, & multiplex jugum Servitutis, Cervicibus ejus impressum identidem, cum Oppressione Legis & Religionis. Non valde probabile inter tales Vicissitudines & Calamitates passim in Terra Sancta Sedibus Sacros Conventus celebrasse, atq publicam viguisse prælectionem Legis Mosaicæ in Synagogis. Intotumquoq, & ubivis locorum id Officii neglectum neutiquam verosilile. Circumstantiæ tamen rerum ac temporum facile persvadent, paucissimos remansisse Legis Cultores, veros illos ac firmos, quibus Sacra hæc cordi fuerant. Talis fuit facies Terræ sub Judicibus. Ad regnum demum admoto Saule, vix ac ne vix quidem respiratum a gravissimo Philistæorum jugo. Davidis quidem imperium florentius extitit: necdum satis compositum, atq confirmatum, ad Deus Religionis restaurandum, atq res collapsas erigendas. Salomonis regnum omni pace & tranquilitate adfluens illud potuisset præstare, & Templo condito ex parte præstitit: sed ipse ad Idolololatriam prolapsus, pessimum universo Populo dedit exemplum, destruens una manu, quod altera extruxerat, non sine ruina publici Cultus. Inde grave illud Vulnus mox inflictum, Religioni & Reipublicæ per avulsionem X Tribuum atq Idololatriæ vexillum erectum, avocato ab Hierosolymis Populo ad Vitulos Danis & Bethelis. Orta hinc Bella perpetua, & tantum non internecina, inter

ter

inter Reges utriusq Domus: neq tantum, qui Samariæ residebant, sed etiam, qui Hierosolymis, publico Idolorum Cultui se mancipaverunt, universo Populo exempla Regum strenue subsequente. Omnia haece duravarunt usq ad Captivitatem Babylonicam: & quamvis lucidiora sub paucis Regibus pientioribus intervenirent Intervalla, nunquam tamen labes illa & pestis, quæ tam alte insederat, potuit exstirpari, sed contra vehentius semper recrudruit, atq magis magisq grassata est, usq ad deportationem Israëlis non tantum, sed & Judæ.

§. Hinc sine periculo Erroris colligere & concludere datur, turbulentiorem perpetuo fuisse conditionem Gentis, quam ut unquam Externa facies Religionisquoq, nedum internas, satis honesto & florente Statu potuit consistere. Neq tamen inde id efficitur ab altera parte, nullam unquam publicam & externam Religionem obtinuisse: neq alibi, quam vel ad Tabernaculum; vel ad Templum deinceps, Conventus fuisse habitos. Hæc æque abhorrent ab omni specie Veri, quam quod ab altera parte tenditur, Cœtus Sacros per omnes Urbes perpetuo obtinuisse.

§. Ut autem tandem Quæstioni huic dijudicandæ ac dirimendæ clariorem adhuc lucem & manuductionem, præsenus, subtexam

N. Auctoritates eorum, qui diligentius Materiam hancce

ventil

Ventilarunt, adjectis Monitis quibusdam necessariis ad statum Quaestionis accuratius, quam factum fuit, constituendum. Contra Synagogas disputarunt Bodwinus in Mose & Aron. Sigonius de Rep. Hebr. Burmann de Synag. Disputt. & Vitringa de Synag. Vet. quorum tamen valde diversus calculus.

A. Bodwinus Originem Synagogarum repetit ab aedificatione Templi: quod quum longius remotum esset a plurimorum Sedibus, ansam praebuerit, ut vice Templi ad Synagogas coiretur. Frigidissima ratiocinatio. Nam & Tabernaculum, ubicunq tandem resideret, aeq a Sedibus plurimorum erat remotum: ac proinde jam longe antea Synagogae debuissent institui. Et etiam cum gravi errore conjunctum, quod Synagogas vicem Templi implevisse insinuat: nam in illis nulla eximia Sanctitas ullo modo statuenda aut admittenda, nisi velimus, quod aedificamus, diruere, quum apud Templum & Tabernaculum solum Majestas Divina resideret.

B. Sigonius autumat, Synagogas in ipso Exilio Babylonico emersisse, ut qui Templo jam carerent, locum tamen aliquem haberent, Templo similem, in quo publicum Cultum exercerent. Sed & haec ratiocinatio perversa. Si enim ad Templi aemulationem Aedes Sacras construxissent, eo ipso Legem Mosaicam gravissime violassent.

C. Burmannus initium & ortum Synagogarum

accessit a temporibus Ezræ et Nehemiæ.
D. Car. Vitringa nil determinat. Suspicatur tantum, eas primum institutas extra Cananæam, quum in Exilio expulsi versarentur Judæi; atq deinceps in ipsam Terram Sanctam introductas.
Pro antiquitate contra pugnant, Bertramus de Republ. Hebr. Ligthfoot Tom. 1. Drelincurtius in Orig. Sacr. Veiverus Dub. Vex. Lib. VIII. de Republ. Hebr. Markkius noster in Sylloge Dissert. ad Act. XV. 21.
ב. Ad Controversiam autem nimium quantam implicitam discernendam, et dirimendam, omnino præterea, quæ jam diximus, hæc quatuor observanda.
a. Ut distinguatur res ipsa a modo rei, ejusdemq Circumstantiis et Cærimoniis.
b. Ut distinctio quoq teneatur inter rem et perpetuam rei durationem, frequentiam, celebritatem, externum vigorem, atq honorem.
c. Ut vel maxime teneatur, ne nobis talem Synagogarum formam ac delineationem ante oculos proponamus, qualem nobis depingunt Talmudici: quum in omnibus illis novitatis manifestissima reperiantur argta.
d. Denique vel maxime cavendum, ne quid Sanctitatis, vel Ædibus illis, huic exercitio destinatis, vel etiam Conventibus et Exercitiis, ibidem celebratis, attribuamus: omnia enim hæcce in solum Tabernaculum, et deinde Templum, competebant, quippe quod erat omnis Religionis unicum centrum ac meditullium.
Quantopere hic ingenio suo indulserint Doctores Talmudici, Sanctitatem eximiam Synagogarum evehentes, et commendantes, ex S. II. percipere datur.

LIBERI I. CAPUT X.

Quantopere etiam hic humani aliquid passi fuerint nostri, ex eo patet, quod Exod. XX. 24. ad Synagogarum Dignitatem, quin et Divinam Institutionem, detorqueant: quum tota Series clamet, agi tantum ibi de illo loco, ubi Altare esset erigendum, et reliquus Cultus Tabernaculi, vel Templi, obeundus. Haec enim sola Sedes est, in qua Deus Nomen suum habitare faceret, atq; Visibile Praesentiae signes et Symbolum exhiberet.

§. Neque vel minimum aliter judicantibus favet: quod dicatur, in omni loco, ubi Nomen meum faciam residere: quasi Phrasis haec de solo Tabernaculo, vel Templo, non posset intelligi; sed necessario involveret multitudinem aedium Sacrarum. Etenim Tabernaculum, tanquam Sacrarium ambulatile, per multa ambulavit loca, et nunc hanc, nunc illam, occupavit Sedem. Incertumquoq; erat, quo tandem in loco Templum exaedificaretur. Non potuit itaq; aliter loqui Lator, quam generatim, in omni loco: quemadmodum Hebraismus ille se patitur resolvi.

§. Sic tandem vix materia Dissensionis relinquitur. Si enim, ut par est, per Synagogas nil aliud intelligamus, quam Conventus Publicos a Religiosioribus ad mutuam aedificationem celebratos sub moderatione Praesulum Religionis, non videtur quisquam tam illiberalis esse posse, qui hoc non ultro largiatur. Si etiam nil determinemus circa modum Legis ibidem tractandae, et circa Ritus, ibidem Observatas, quod quisquam cum aliqua Specie negare queat, nisi nimis vehemens in remittendo, contendat, Sanctificationem Sabbathi ne minimum quidem Religionis Officium vel publice, vel privatim, exegisse.

LIBER II.

CAPUT I.
De
PONTIFICE MAXIMO.

§. VIII.

Quod hic Clar. Auctor adnotat de VESTIMENTIS ALBIS Pontificis Maximi, quibus imbuendus fuerit in Solennitate diei Expiationis, quum intraret in Sanctum Sanctorum, ex Levit. XVI. 4. XXIII. 24. aliquid objicere posset erroris. Ut res ergo clarius & distinctius teneatur, sciendum, Doctores Talmudicos distingvere inter Vestimenta Alba, & inter Vestimenta Aurea, Pontificis Maximi. Prior illa Classis quatuor tantum species; posterior octo, comprehendebat.

AA. Totus Ornatus Pontificalis, Ordinarius ille, habebat Materiam partim Lineam, partim Laneam, auro, gemmisq praefulgentem, atq octo distinctis partibus constabat.

BB. Ornatus autem Extraordinarius, detracto omni fulgore auri, ac lapidum pretiosorum, mere Lineus erat, & tantum quatuor partibus constabat: ut ita magno die Expiationis Publicae, totus Lineus, sive Lintiger, in locum Sanctissimum penetraret, Apparatu puro quidem illo, et integro; neutiquam tamen tam splendido, magnifico, atq Regali: ad indicium videl. Humiliationis, qua summus ille Sacrorum Praeses

pro

pro se, et pro Universo Populo, cum Sanguine Ex-
piatorio deberet comparere, nondum Conditione
illius, qui plenissimum Jus Vitæ occupaverat; sed il-
lud adhuc impetrare, & procurare debebat.

Ut hæcce Veterum Sacrorum arcana sub pleniorem
conspectum educantur, præmittemus, & ordine perlustra-
bimus singulas Ornamentorum, quibus Deus Pontificem
Summum voluit præfulgere, tanquam illustrissimum Ty-
pum Veri nostri Pontificis.

<u>A.A.</u> In <u>prima</u> Classe itaque

א. Ornamentum appellatur Duali forma מִכְנָסַיִם, a
Singulari מִכְנָס: cujus radix כנס in Lexicis valet
<u>congregavit</u>, <u>collegit</u>. Inde varia procuduntur Ety-
ma. Sed satis apparet ex Esa. XXVIII. 16. primari-
am vim nostri thematis stam fuisse in <u>condendo</u>
& <u>abdendo</u> per <u>involutionem</u>: unde jam <u>foemo-
ralia</u> aptissime nomen hocce Duale invenerunt.
Non utuntur Orientales hocce involucro foemorum,
quod frigidioribus Plagis frequentatum. Addi-
tum autem hocce Indumentum tam Pontifici;
quam Sacerdotibus, ad majorem Venerationem,
Sanctimoniam et Castitatem, ut insinuatur,
Exod. XXVIII. 42. nam Religio censebatur minui
atq violari, si qua pars Corporis, honestius velan-
da, patuisset inter sacrificandum, operandumq rei
Divinæ.

ב. Ornamentum vocatur כְּתֹנֶת, forma foemin.
Infin. <u>Kal</u>. Redditur plerumq <u>Tunica</u>, propter

quandoq

quandam litterarum Convenientiam: quin secundum
Philologos quosdam Latinorum Tunica ab He-
bræo nostro Vocabulo deducta et per Transposi-
tionem. Tenuis hocce lubricum valde et fallax.
Alia enim origo Tunicæ Latini, & alia hujus
nostri Vocabuli, dependentis a radice Veteri, ex
Dialectis restituenda, كتن, quæ apud Arabes sig-
nificat, adhæsit, adpactus fuit: unde conveni-
entissima denominatione dicta כְּתֹנֶת Vestis il-
la interior, quæ proxime Corpori adhæret, quam
& Interulam propterea adpellarant Latini. Cujus
descriptionem mox dabimus ex Josepho: pro arti-
ficiosa ejus Contextura remittimus ad Car. Brau-
nium De Vestitu Sacerdot.

4°. Venit Baltheus אַבְנֵט forma Quadrilitera:
quæ derivari solet vel per Compositionem,
vel per Simplicem Deductionem per א servile,
a radice בנט. Illa quidem in Bibliis non ex-
stat, sed ex Copia Dialectorum revocari potest,
cum Significatione contexendi, & constringendi.
Quibus א est radicale, non una placuit De-
rivatio. Nostra tunc foret, ut sit forma confla-
ta ex duabus radicibus, אבן nodosus fuit, &
נטה tetendit, q. d. Strictionem nodosius ten-
sam vel intensam. up. Usus hujus Balthei erat
ad Interulam inferius substringendam, & quidem
non circa lumbos, sed circa medium Pectoris,
ut facilior foret totius Corporis inflexio. Hunc

Cingendi

LIBER II. CAPUT I.

Cingendi modum Apulejus, Sacerdotes Aegyptios depingens, ait, Cinctum Pectoralem, Lib. x. Mil. quod scitu notatuq dignum: quia ad hunc modum succinctus nobis repraesentatur Summus Ecclesiae Pontifex Apoc. 1. 10. indutus Toga Talari, i.e. Pallio Pontificali, et Zona aurea ad mammillas recinctus. Traditio Talmudica cujus et mentio facta in §. nostra, habet, Zonam hancce latam fuisse 4. Digitos, longam 32. Cubitos. Hue quum nimium videatur, et molestius, fides Talmudica hic non immerito suspecta habetur. Josephus tamen aliquomodo hanc Traditionem fulsit, Antiqu. Lib. III. Cap. VII. ita Balteum nostrum describit; una cum praecedenti Interula: eam כְּתֹנֶת ait, ad ta-
" los esse demissam, habentem Manicas circa
" brachia adstrictas, et totum Corpus arctius
" ambientem: substrictam autem eandem ad
" pectus Zona lata 4. Digitos: quae pro te-
" xtura sua artificiosa imitaretur Cutim as-
" peram Serpentis: floribus ex Cocco, Purpu-
" ra, Hiacyntho, & Bysso, constante. Addit deinde: illam largo Volumine ad talosquoq
" defluxisse, ob dignitatem et ornatum: nisi
" quod inter ministrandum, ne impedimento fo-
" ret, partes illae dependulae super humerum
" rejicerentur. Produx locum, ut eo melius

evitari possit Controversia inter Car. Braunium & Pfeiffetium ventilata. np. Braunius in Vestitu Sacerd. ignorantes pronunciabat Antiquitatis Hebrææ, qui Cingulum breviis, et fibula substrictum, sibi fingebant. Contra Car. Pfeiffetius auctoritatem Talmudicam hac in parte explodebat, ac propterea Lexicoque suo, sive Comment. ad Linguam Hebr. sub voce אבנט istam suam sententiam acrius defendit. Probe autem notandum, antequam a Balteo discedamus, descriptionem hanc Josephi quadrare in illum, qui in censu Vestium Aurearum recensetur: ejus enim textura erat e Lino & Lana variegata: ast in censu Vestium Linearum, quæ magno die Expiationis adhiberi debebat, Balteus hicce ex mero Linoquoque constabat: quemadmodum adhuc distinctius ostendetur suo ordine & loco. Nunc modo teneatur Levit. XVI. 4.

7. In hac serie Ornamentum est Capitis Tegmen, adpellatum מִצְנֶפֶת, a radice צנף, volvere, in-circum-volvere, et quidem in globum seu figuram rotundam. Josephus Lib. III. Cap. VII. illud describens ait: super Caput Pontificis fuisse impositum „ Pileum, seu Pileum non fastigiatum, qui Ver-„ ticem medium contegebat, non autem totum Ca-„ put cingebat. Nomen ei fuisse Mitznephet: il-„ le sonus efformatus ad terminationem Chaldai-„ cam מִצְנַפְתָּא. Deinde ita pergit: adornatus

"est ille Pileus eum in modum, ut videatur esse
" Corona, e Fasciis densioribus convoluta. Ei super-
" imponitur tenuissima Syndon, ad frontem usq
" dependens, et commissuras Fasciæ convolutæ oc-
" cultans. Superimponitur deinceps Lamina Aurea
" Coronamentum complens. Ad hanc lucem hujus De-
scriptionis infra voce Regale decus Coronamenti
adcuratius evolvere poterimus, ubi ad Laminam
Auream §. X. fuerit perventum. Nam Vulga-
ris opinio nequaquam firmitati ac decentiæ hic
satisfacit.

§. X.

BB. Percensenda nobis porro altera Classis Vestimentorum
Pontificalium: quæ quum jam multo Auro, aliisq Splen-
doribus præfulgeret, ansam dedere generali adpella-
tioni, qua, etiam quæ hactenus recensuimus, insigniuntur.
aa. Locum hic obtinet מְעִיל, a radice, ut putatur,
מעל: cujus significatio secundaria tantum in
Bibliis remansit, prævaricari, rebellare, desci-
cere ab Officio, & quidem speciatim clanculum.
Hoc nonnullis ductum videtur a Pallio nostro
potius, quasi palliare: atq tunc pro ipso
מְעִיל radicem arripiunt עלה adscendit,
superior fuit, quia Pallium sit Vestimentum
superius. Abnuit hoc Etymon ratio Etymologiæ
ac Analogiæ, quæ annueret magis, si ad

radi-

radicem מעל recursum fuisset, in qua inest vis pendulae laxitatis. Hoc autem Pallio egregie quadrat laxius dependenti ac defluenti: quemadmodum apud Latinos quoq non absimilis Origo deprehenditur. Nam Palla, quae est Muliebris Stola laxius fusa, & Pallium Virile, ἀπὸ τοῦ πάλλειν, vibrare, laxius movere, descendunt. Sane omnia loca, in quibus Vocabulum nostrum Hebraicum occurrit, illius amplitudinem & laxitatem manifeste exserunt: ut adeo erroris quoq convinci queant Talmudici, quiq auctoritatem eorum sequuntur, Philologi illi nostri, qui nobis Ornamentum hocce Pontificale ex laxissimo, splendidissimo, et vere Regali, restringunt et coarctant in brevem quamdam Tuniculam, arctissimam illam sine Manicis, quae tantum ad genua usq descenderit: quemadmodum in omnibus fere Libris et Imaginibus nobis hoc repraesentatur. Illa curta profecto, et ut ita dicam, angusta, parum convenit amplitudini Personae Pontificalis; parum quoq Origini & Usui nostri hujus Vocabuli; parum quoq deniq cum meliore delineatione Josephi, quam ipsius Majmonidis, Doctoris suos hic deserentis, quum in Constitt. De Vest. Sacerd. ita ponit: Pallium sine manicis fuisse divisum in duas Plagas, vel alas majores, a Collo largius deorsum defluentes,

atq

atq neutiquam instar Tunicæ Corpori fuisse adstrictum, vel arctius adpressum, sed tantummodo Collo innexum pependisse. Multo luculentissima quoq Descriptio Josephi Antiqu. L. III. C. VII. Non est, inquit, Tunica ex duo-
„ bus Segmentis, nec Suturas habet in humeris et late-
„ ribus, sed unum φάρος, sive velum majus et Pal-
„ lium quod aperturam habet circa Collum, cui illud inserendum. Delineatur, ut apparet, Pallium rotundum, laxo & Sinuoso ambitu universo Corpori circumfusum: qualia erant Pallia illa Regalia, quæ Majestatem augebant, et Pompæ inserviebant. Consimiliter Philo Judæus L. II. de Monarchia, & alibi, appellat ἔνδυμα ποδήρης ad pedes usq defluens. Hanc Magnificentiam Pallii Pontificalis, ut res ipsa satis suggerit, ita eandem ingerit & inculcat Textus S. Exod. XXVIII. 31, 32, 33. quum huic Ornamento Pompatico attribuuntur שולים Laciniæ, laxius et largius dependentes, atq adeo humum tangentes et verrentes. Hæc enim est certissima Origo et proprietas radicis שול cum hocce suo Derivato: quantumvis Lexica pro illis dependentibus et fluentibus Laciniis, nobis oggerant Laciniis neglectis, Fimbrias. Hoc jam alia occasione a nobis evictum, nunc tantum comprobabimus ex Esa. VI. 1. ubi D. Messias introducitur residens super Throno celso et Sublimi in suo Templo

tangv.

tanquam Rex np. et Pontifex, jam Arcam Foederis, i.e. Thronum Gratiae et Gloriae ad Dextram Patris occupans et quidem in Summa illa Magnificentia, qua tanquam Caput Ecclesiae praefulget. Ad quam Magnificentiam declarandam hac insignita Phrasi utitur Propheta, quod ejus שׁוּלָיו universum Templum impleverint. Per Synechdochen Partis pro Toto Laciniae ipsae consignant Pallium Laciniosum: et sub Pallio iterum comprehenduntur reliqua Ornamenta & Vestimenta Regalia. Jam vero nisi multo laxissimum et Sinuosissimum concipiatur Pallium, neutiquam universum Templum potuerit implere. Est autem hicce adspectus jucundus plane & admirabilis, quod jam hae Laciniae longe lateq diffusae & expansae repraesententur, secundum figuratum illum usum, quo Expandere alas Vestimenti sui apud Hebraeos usurpabatur pro recipere sub protectionem, tutelam et curam. Inspiciatur quoq Jer. XIII. 21.24. Thren. 1.9. Nah. III. 5. in quibus omnibus locis deprehendetur Laciniosa illa amplitudo et diffusa Laxitas, quam insinuamus. Ut adeo mirum sit, quomodo hac in parte tam gravis error potuerit obrepere. Ipsos Talmudicos ad meliora perducere potuisset alia ipsorum Traditio, quae habet, Tintinnabula Aurea, et Mala Granata, artificiosissime contexta ex Purpura, Cocco et Hyacyntho, quae Extremitatibus Pallii erant adnexa, fuisse numero LXXII.

Par.

Clar. Braunius in Vest. Sacerd. fido alias Sectatori Talmudicorum, ille numerus hypercus, quod pro tanta multitudine ad minimum XII. Ulnae nostratus requirerentur. Hoc autem cum Vestimenti hujus arctiore ambitu parum convenire. Sic concludit M. Philologus, qui contrariam potius Conclusionem inferre debuisset, et Talmudicos suo gladio jugulare, Pallium hocce ad amplissimam suam Dignitatem & Majestatem revocando. Non tamen huic ipsi Traditioni nimium deferri velim, multo minus sententiam nostram eidem superstrui: non enim inniti amamus incertioribus, quo ex genere hoc saltem censendum, quum videantur numerum illum lusu quodam ingenii exsculpsisse, quo & alia bene multa luserunt, vel respiciendo ad LXXII. Linguas, quod ajunt, per Orbem dispersas; vel ad LXXII. Patres Synedrii M. quemadmodum et ex Christianis nostris Doctoribus LXXII. Discipulos huc sensu Mystico advocarunt, qui a Pallio Pontificali Domini nostri dependeant, ejus decus, quin & vocalem Evangelii sonum adstituant. Quam fluxa interim haec sint, vel ex alia narratione Justini Martyris liqueat, quae habet, XII. tantum fuisse Tintinnabula, quae repraesentarint XII. Apostolos. Haec quum ad liquidum, silente Mose, multo minus ad firmum aliquid reduci nequeant

queant

nequeant, minus tutum fuerit, ut Allegoriam inde exsculpere conemur: qua de re commodius adhuc infra disseretur. Pergimus ad

bb. in Secunda hacce Classe Ornamentum, אֵפוֹד dictum, Radix est אפד, rarior in Bibliis, nec alibi reperiunda, quam in Descriptione, Exod. XXVIII. 8. XXIX. 5. XXXIX. 5. Levit. VIII. 7. unde nil aliud elici potest de proprietate hujus Derivati, quam generalis notio amiciendi, vel circumvestiendi: quemadmodum & Lexica ibi subsistunt. Restatque Derivatum אֲפֻדָּה ex Specie Pahlel, pro integro אֲפֻדְּדָה, Esa. XXX. 32. Unde apparet, esse Ornamentum, reliquis Vestibus superinjiciendum. Quam potestatem egregie confirmat Origo, ex Dialectis restituta, in eminendo vel imminendo. Inde commodissime אֵפוֹד, pro אֵיפוֹד ex specie Peihel dictum Ornamentum Humerale, quod ipsi Pallio superimpositum circa Humeros medium Corpus ambibat. Inde & ὤμιδας vocant Graeci. Descriptionem ejus satis luculentam exhibet S. nostra: cum qua conferri velim Josephum, Antiqu. Lib. III. Cap. VII. Cum hoc

cc. proxime connexum Ornamentum Pectorale, specialius adhuc, & praefulgentissimum illud, quod vocatur חֹשֶׁן, et pleniore formula חֹשֶׁן הַמִּשְׁפָּט, quia Judicia & Oracula Coelestia hic veluti reponebant, atq hinc expromebantur. Radix חשן,

quam

quam forma hocce recefert, nuspiam in SScrae. occurrit. Hinc orta, ut fit, multiplex hallucinatio.

αα. Sunt enim, quibus placuit arripere חוש acceleravit, quasi dicas, acceleratorium judicii.

ββ. Alii recurrerunt ad חשה siluit, quod velint, silentio edita oracula.

γγ. Alii ad חֹזֶה a rad חזה recursum habuerunt, quod speciatim Prophetam significat, a video. In his nil tuti ac firmi: neque etiam satisfacit,

δδ. Quod in Stockio prostat, respiciente ad Arabicum حسن pulcer fuit, ut a pulcritudine eximia dictum fuerit nostrum Pectorale: requiritur enim aliquid significatius & expressius, quod cum Sacro usu in judiciis Divinis reddendis magis conveniat. Sciendumquoq, ipsam notionem pulcritudinis esse secundariam, ortam, ut videtur, a liquido, vel candido nitore: unde jucundissima efflorescerent figuratio, per quam חֹשֶׁן הַמִּשְׁפָּט valeret eliquatio judicii, vel nitor liquidissimus judicii Divini, gemino sub aspectu,

(–) Ut et Gemmae ipsae attendantur, liquidissime nitentes; et simul

(=) Responsa Coelestia, liquidam lucem exsertura. Huic Etymo respondet

(·) Universa ejus Fabrica.

(··) Ejusdem usus. Et

(∴) Arctior illa relatio, quam habebat erga Oeconomicam rationem, tum V. tum N. Testamenti.

De quibus omnibus commodius agetur speciali discussione, quam circa Urim et Tummim instituemus, quando haecce Series Vestimentorum fuerit detexta.

Hujus autem Pectoralis descriptio, prostans Exod. XXVIII. 15. aliquid relinquit ambiguum, quod ansam dedit diversis opinionibus. Apparet quidem inde, fuisse Pannum artificiosissime et fulgentissime contextum, latum I. et longum II. Spithamas, ut in quadratam figuram complicaretur. Sed non adparet, an Duplicatura illa quadrata tantum adhibita fuerit, ut majorem densitatem simul et firmitatem praestaret; an potius, ut interiorem sinum ac recessum efficeret, in quem aliquid inseri ac recondi posset. Hoc posterius, ut a Talmudicis tenetur; ita verisimilius est, et cum litterali narratione Mosis magis convenit. Sed et hoc infra, ubi de Urim et Tummim agendum erit, clarius patescet. Quod attinet ad XII. Gemmas, earundemque partim nota Nomina, partim ignota: remittere liceat ad B. Braunii Opus Completissimum: ipsa enim discussio longius excurreret, quam Institutum nostrum patitur. Sufficerit itaque monuisse, hisce XII. Lapidibus pretiosis, in IV. Ordines digestis, et totum Pectoralis spatium

occup

occupantibus, insculpta fuisse XII. Nomina Tribuum Israëlis, ad inculcandum, omnes illas per suum Pontificem, atque adeo in suo Pontifice, Deo offerri et consecrari, tanquam Regale Sacerdotium. Cum hisce autem XII. Nominibus Talmudici conjungunt ex Traditione tantum aliam adhuc Sculpturam in superiore parte Pectoralis exaratam, Nominibus Abrahami, Isaaci et Jacobi, inferiori ejusdem parti insculptoque quoque titulo, omnibus communi, hacce שִׁבְטֵי יְשֻׁרוּן Tribus Jeschurun. Josephus hoc additamenta ignorat, videturque res tota excogitata in gratiam Sententiae Talmudicae circa modum Oraculi per Urim et Thummim redditi, quod concipiunt factum fuisse emicatione Litterarum, e Pectorali protuberantium, et refulgentium in medio aëre: unde volunt Pontificem Responsa Coelestia connexuisse. Jam vero quum in Nominibus XII. Tribuum non invenirentur omnia Elementa Alphabeti, hocce Supplementum videntur adscivisse, ne ipsorum Hypothesis labascerent. Dignum profecto suis Auctoribus Commentum, quod vanitatem suam ultro arguit, atque inferius quoque arguetur, et explosum dabitur.

dd. Ultimum tandem inter Pontificalia decora, et Regalissimum, erat Ornamentum illud, quod duplici nomine insignitur; proprio et figurato. Proprium est נֵזֶר. Figuratum est צִיץ flos micans nam radix significat micationem splendentem.

vide

DE PONTIFICE MAXIMO.

Videatur Exod. XXIX. 5. XXXIX. 9. Hinc admirabili Constructione Psal. CXXXII. 18. de Domino Messia praecantatum, super ipso נִזְרוֹ יָצִיץ floreret Coronamentum ejus, hoc Corona Pontificalis simul et Regia, instar floris se se expandet, cum vigore et honore perpetuum duraturo. Videtur Ornamentum hocce per se ita distinctum, ut vix aliquid scrupuli potuerit relinquere, & tamen nullum, in quo magis dissideatur. Propterea paulo accuratius materia haecce nobis expendenda et inculcanda erit. Exod. XXVIII. 36. Verba sic concipiuntur: faciesque ציץ florem auri puri, et insculpes super eum sculpturis sigilli קֹדֶשׁ לַיהוָה Sanctitas Jehova, et appones eum florem super vitta hyacinthina, eritque super מִצְנֶפֶת Tzidarim, accurate e regione frontis erit Tzidaris. Ad hanc delineationem magna dissonantia Talmudicorum, magna Christianorum: plurimis in hanc mentem descendentibus, vocabula ציץ nil aliud designari, quam Lamellam Auream, II. Digitos latam, et illius tantum longitudinis, ut ab una aure ad alteram pertinuerit, atque infra Tzidarim superiorem partem frontis tetigerit, atque contexerit. Ut hoc commodius fieri posset, adjiciunt Talmudici, mediae Lamellae innexas taeniolas, quae eandem Tzidarim firmius adstrinxerint circa verticem. Quamvis autem hoc delineatio & dispositio

non

non multam videatur habere dignitatem et commoditatem, habebant tamen aliquid in Textu Mosaico quod hanc ipsis Opinionem potuerit suggerere: quia talia ferme Ornamenta nonnisi oculata inspectione accuratius internosci queunt: unde notum, in omni Antiquitate vix quidquam obscurius, quam rem Vestiariam. Cum ergo Moses Exod. XXVIII. 36. nostrum ציץ cum sua Inscriptione SSancta juberet ponere e regione faciei Cidaris, concluserunt, non ad Occipitium, sed tantum ad Sinciput, totum hocce Ornamentum pertinuisse: cumq ibidem adderetur; Sit illud על מצח super fronte Aaronis, collegerunt, non tantum fronti debuisse praeeminere; sed etiam super ipsam frontem adplicari. Accedebat, quod vocabulum ציץ existimaretur cum significatione floris expans. etiam admittere alteram Laminae expansae: quemadmodum ita apud Graecos πέταλον utramq potestatem amplectitur. Hoc quidem de Graeco vocabulo per Exempla ita liquet, ut nullum relinquatur dubium. Sed in Hebraico aliter se res habet, et nullum producitur aliud specimen illius notionis, quam in hac ipsa materia Controversa: unde etiam Car. Braunius quamvis in reliquis partibus subscribat Sententiae Talmudicae, neutiquam tamen subscribit huic denominationi, quasi Lamellam significare posset hocce nostra vox; sed eam hoc nomine insignitam censet, quod flores insculptos ab utraq parte Tituli SSancti praeferret: quod et alii tam Lexicographis, tum Commen-

tatores

DE PONTIFICE MAXIMO.

Commentatoribus placuisse video: unde tamen res
adeo non expeditur, ut multo impeditior reddatur.
Exposita Vulgari Opinione, examinandum nobis nunc
venit, quid hac in re

א. Josephus memoriae prodiderit, Testis utiq hac in parte
oculatus, ac propterea longe Talmudicis praehabendus.
A. Is Antiqu. Lib. III. Cap. VII. haec exhibet: Super Ti-
dari Pontificis, sive Pileo, imponebatur alius con-
sutilis ex Hyacintho: hunc vero cingebat Corona Au-
rea in triplicem ordinem effabricata, 5έφανος χρύ-
σιος ἐπὶ τρισοιχίαν κεχαλκευμένος, florescens
aureo Calice: qualem videmus in herba, quae apud
Botanicos Graecos appellitatur ὑοσκύαμος. Dein-
ceps subnectit delineationem, quam apud ipsum
potius inspici velim, diligentiorem adhuc hujus Cali-
cis ὑοσκυαμου. Atq deinde resumit: ad hujusmodi
ergo Calicis expansi similitudinem se habet Corona
quantum ad Occipitia, & ambo tempora: sed ipsi fron-
ti Calix non imminebat, eratq ibi Τέλαμον χρύσιος,
SSanctis Litteris incisam gerens Nomen Dei. Et
B. Alter adhuc locus De Bello Jud. Lib. XV. Cap. V. §. 7.
ubi breviter percensens Ornamenta Pontificalia,
de hocce Universo Capitis Decore haec tradit: Caput
Pontificis contegebat Tidaris Byssina, Hyacintho in-
super circumdata: itemq alia adhuc Corona Aurea,
inscriptas praeferente Sacras Litteras. Eundemquoq
adspectum nobis offert

ב. Philo Judaeus, in Lib. de Vita Mosis, quum ait: Aure-
am Laminam fuisse elaboratam adinstar Coronae, quae in-

sculptas

insculptam praeferret Nomen SSanctum quatuor Litterarum, atq; sub ea Corona positam fuisse Vittam, ne Caput ipsum Corona tangeret, atq; propterea Cidarin supereminuisse.

Habemus in utraq; Josephi & Philonis descriptione triplicem seriem et ordinem, & distincte exhibent Cidarim, quae est מִצְנֶפֶת, Vittam Hyacinthinam eidem impositam, quam Moses appellat פְּתִיל, & Coronamentum Aureum, quod Mosi est צִיץ flos expansus, vel נֵזֶר Diadema.

Hisce ita praestructis, discutiendum ulterius, quid sibi velint ista Josephi verba, στέφανος ἐπὶ τρισοιχίαν κεχαλκευμένος.

Cl. Car. Braunius in Vest. Sacerd. hinc exsculpit, super Lamella fronti praetensa, quam ex Vulgari Opinione concipit, sculptos fuisse tres ordines Calyculorum, ὑοσκύαμον, quam speciem nominatim expresserat Histor. Judaeus, qui tres ordines ab utraq; parte Titulum SSctum cinxerit. Hujus sculpturae

(−) nec vola, nec vestigium, est in Textu Mosaico. Eademque alienissima

(=) a Contextu Josephi. Atque excogitata haec sententia ad rationem quandam speciosam reddendam de appellatione ציץ floris, quasi hocce Diadema isto nomine foret insignitum, quod flores gereret insculptos. Quo nil languidius Viro Erudito in mentem venire potuisset: quum utique si vel admitteremus illos flosculos, de quibus altum silet Moses, non conficerent istud Coronamentum; multo minus illud haberent ponderis ac decus, ob quod

tali

tali Titulo Corona hæc deberet insigniri.

ββ. Commentatores Pontificii, ut Romano Pontifici gratificarentur, ex Verbis Mosis et Josephi excuderunt nobis triplici fastigio assurgentem Coronam, atq Calyculos tribus gradibus distinctos. Quod iterum a Josephi descriptione longiuscule deflectit, et in Mose nil habet præsidii.

γγ. Extat in Dissert. de Pileo, sive Tiara Sacerdot. ac Sum. Pontif. a Doct. Wallio conscripta, novus et eruditus Conatus, qui invenietur post Comment. P. Tillii de Tabern. Mosis. Censet scil. Josephum respicere tres illos ordines, quos supra attigimus, Tzidaris, Vittæ Hyacinthinæ, & Coronamenti Aurei. Id prima fronte adblanditur. Diligentius tamen excussum admitti vix potest. Nam vocabulum κεχαλκευμένος aliud suggerit. Potest quidem per κατάχρησιν, quam vocant Rhetores, χαλκεύειν quod æri proprium, transferri, extendiq ad aurum, omnemq fabricam Metallorum; sed ut ad materiam Lineam & Laneamquoq transferatur, non patitur ulla Rhetorica. Nihil aliud ergo restat, quam ut ille στέφανος ἐπὶ τριστιχίαν κεχαλκευμένος restringatur ad solum Aureum Coronamentum: poteritq ex Serie Verborum Josephi, & ex natura ipsius rei, ita satis commode Textus ille explicari, ut concipiamus Coronam ex fronte depressiorem, quæ ad latera clementer ac leniter assurrexerit, foliis expansis, eo modo, quem nobis accuratissime præpinxit, donec ad Occipitium altissime emineret. Sic apparet τριστιχία: apparetquoq multa dignitas & majestas hoc pacto Capiti Pontificali addita, & in pleno atq uberrimo sensu relucet illa excellentissima figuratio, quam supra laudavimus, Psal. CXXXII.18.

Super

super eo efflorescet Ornamentum ejus, Si cum hac nostra digestione Verborum Josephi conferatur Exod. XXVIII. 36. habebimus eandem rerum faciem, si verba recte digerantur.

aa. Enim reperietur ibi flos ציץ foliis diffusis & expansis, quamvis de figura nihil adjiciatur. Habemusque

bb. Ibidem Vittam Hyacinthinam, quae Tzidari fuerit superimposita. Talmudici sine ullo judicio ex פְּתִיל תְּכֵלֶת confecerunt Linteamina a duobus lateribus Lamellae, et a medio ejusdem substringenda, atque circa Occipitium & Verticem religanda, ne Lamina fronti praepensa moveretur, aut loco excideret. Hoc quam parum habeat decentiae, facile quivis sentit: neque Vocabulum פְּתִיל quamvis filum tortile aliquando consignet, in hac tamen materia istum significatum, ullo pacto potest admittere: sed omnino, ut alibi quoque significare debet, Vittam pulcre tortam & contextam.

cc. Subnectitur: eritque super fronte Aaronis. Id est, quod fluctuationem, in qua versamur, suscitavit: quia nimis rigide istam Phrasin Talmudici acceperunt, non attendentes, esse tritissimam in omnibus Linguis Figurationem, ut Corona, totum Caput ambiens, dicatur tamen frontem redimire, frontem decorare: non sane, quod soli fronti innectatur, sed quod, ut Dignitas Hominis in fronte potissimum eminet, ita Regale Capitis Decus ad frontem maxime reluceat, atque ibi omnium Venerationem sibi attrahat. Teneatur ergo ad pleniorem adhuc Evictionem,

(–) Vocabulum מִצְחוֹ frons proprie totum simul Caput complectens: ideoque speciatim consignatum

(=) In hac hac quidem Sanctione; quia Titulus SS. praecise ad regionem frontis debebat praeminere. Addiderim &

(≡)

(≡) Quod & a fronte totum illud Regale et splendidissimum Decus Ornamenti Aurei, florem expansum repraesentantis, clarissime praefulgeret triplici illa gradatione depressioris, atq; sensim circa Tempora assurgentis, et ad Occipitium maxime eminentis, Ornamenti conspiceretur. Conf. debet, quod Lev. VIII. 9. pro hoc rerum ordine et conspectu paucis comprehenditur: Et imposuit Moses Aaroni Tzidarim super Caput, imposuitq; super Tzidarim, ad regionem faciei ejus florem Aureum, Diadema Sanctitatis.

§ X.

Non licet Ornamenta Pontificalia e manibus dimittere, antequam operamquoq; nostram impenderimus in Urim & Tummim, quibus Pectorale vel maxime praeminebat. Et interim materia maximis Tenebris involuta, ad quam, si pote, elucidandam, per quinque membra progrediemur. Ac I. Denominationem et Titulum huncce discutiemus. II. Excutiemus, quidnam sit illud, quod his nominibus insignatur. III. Examinabimus modum, quo Oracula per Urim & Tummim fuerunt reddita. Ac denique tandem, & V. Ejus Mysticam Sapientiam et Potentiam declarabimus. Quod jam attinet

I. Haud satis, vel convenit, vel constat, inter Philologos, unamne, eandemq; rem Titulus Urim et Tummim indicet, an geminam, ac diversam? Hebraea Vocabula אורים ותמים sonant Lumina & Perfectiones, a radicibus notis, nempe אור luxit, & תמם perfectus fuit. Egregie proinde Aquila convertit, φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις,

Laud

laudandus pro LXX. qui incommodius dederunt, δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν: Rem magis, quam Veriverbium hoc pacto expresserunt. Ansa inde praebita Errori satis gravi, quo Hieronymo praeeunte, Doctrinam et Veritatem multi hinc exsculpserunt: quasi prioris vocabuli thema esset ירה, cujus Hiph. הוֹרָה est docuit, et תּוֹרָה Doctrina, Lex; alterius autem radix foret אמם verus fuit. Hallucinatiunculas hasce Analogia facile refutet, quae non admittit alias radices, quam modo traditas. Unde nec audiendus Cerius, quum pro posteriore תֻּמִּים recurrit ad thema תאם, cujus Derivatum תְּאֹם significat geminum, gemellum. Hinc contractum autumat תֹּם, cum Plur. תֻּמִּים, quod ipsi gemellos connotat, pro Hypothesi deinceps exponenda, et refutanda. Nos Lumina & Perfectiones unice locum habere posse existimamus: quamvis non audeamus decidere hactenus; an duplex aliquod Signum hac appellatione comprehendatur, an simplex tantum et unum?

a. Pro uno facit, quod in quibusdam Textibus una adhibeatur vox Urim, omissa altera Tummim, ut Num. XXVII. 21. et 1 Sam. XXVIII. 6.

b. Pro gemino facit vero

(–) Repetitio Praepositionis אֵת in constructione signantissima, Exod. XXVIII. 30. et impones in Pectorale Judicii, אֶת־הָאוּרִים וְאֶת־הַתֻּמִּים, repetitaque Particula Emphatica. Similiter Levit. VIII. 8. et in alia adhuc Syntaxi, per ל identidem repetitum, Ezrae II. 63. Neh. VII. 65. Accedit

(=) Structura per Plur. היו ibidem Exod. XXVIII. 30.

quod

quod tamen minus validum foret, si nil aliud adjungeretur: quia forma Plur. istorum Nominum illuc invitat.

(≡) Non validissimumquoq, quod valde tamen a quibusdam urgetur, vocabula hæce alio ordine posita comparere Deut. XXXIII. 8. ubi legimus, Tummim et Urim.

Quid jam de hac re statuendum videatur, melius dilucescet, ubi ad Sententias II. percensendas oculis subjecero. Progredimur ergo ad istam nunc Disquisitionem,

II. In qua tanta obscuritas reperitur, ut multi, tum Judæi, tum Xtiani, existimaverint, rem plane esse desperatam, et frustra operam consumi in eo, quod Deus de industria occultavit. Istam ego modestiam prætulerim quidem nimiæ Confidentiæ, asseveranti sine ulla hæsitatione, quod magnopere controversiosum est, et manebit; dignissima tamen Materia est, quæ cum debita circumspectione examinetur, ut perspectis opinionibus Variantibus id eligi queat, quod ad Veritatem proxime videtur accedere. Habeatur ergo

ℵ. In hac serie Cabbalisticum Commentum, in Schola Judaica regnans, unde & partem aliquam nonnulli Xtiani in suam Scholam derivarunt. Reponam illud

α. Verbis R. Salomonis: Urim & Tummim sunt Scriptura Nominis Tetragramati, quam Mosis indidit intra Pectoralis sinum, & duplicaturam, ut Virtute illius Nominis SS. Provinciam suam administraret Pontifex, et Luminibus ac Perfectionibus Divinis compleretur. Exstat porro

β. Idem Dogma Cabbalisticum in Paraphrasi Chaldaica Jonath. Exod. XXVIII. 30. quorsum remittimus.

γ. Idemquoq in Lib. Zohar commemoratur Verbis & Phrasibus Cabbalisticis: Urim sunt Secreta Specularis

lucent.

lucentis: estq hæc Sculptura Litterarum Nominis SS. per Mysterium XLII. Litterarum, quibus creati sunt Mundi. Tummim autem sunt Secreta istarum Litterarum, quæ comprehensæ fuerunt in loco Specularis non lucentis numero LXXIII. quæ continebant omnem potentiam mysticam Nominis Tetragrammati. Hæc simul sumta efficiunt Luces & Perfectiones omnis, cum Sapientiæ, tum Potentiæ.

δ. Hæc implicata Dogmata clarius explicuit R. Azarias in Libro Meor Enanaim, Cap. XLVIII. ubi ex Schola illa Cabbalistica assumit, intus in Sinu Pectorali deposita fuisse duplicis generis Nomina Divina, propagata ex SS. illo IV. Litterarum, quorum alia appellata fuerint Urim, alia Tummim: ut quum Urim inspectaret Pontifex, inde effulgerent Litteræ, ex quibus Oraculum componebatur. Sed quum ista Compositio non adeo facilis esset, et multam Sensus varietatem potuisset efficere, inspiciendaquoq fuisse Nomina, Tummim appellata: ut inde Oraculi verum Sensum perciperet.

Has imaginationes Cabbalisticas qui persequi volet, adire poterit Galatinum de Arcan. Relig. Cathol. Lib. II. Cap. VII. XII. nec non Reuchlinum, de Sapient. Cabbal. reperienturquoq nonnulla in P. Buxtorfii Dissert. de Urim & Tummim. Nos guttulam ex magno mari exhibuisse contenti sumus: ut procedamus ad

ב. Opinationem, etiam Judæorum et plurimorum ex Nicanis: quibus placitum, Urim & Tummim nil aliud designasse, aut designare posse, quam ipsas Gemmas Pectoralis.

Ratio

DE URIM & TUMMIM

Rationes, quibus nituntur, satis sunt speciosæ. Argument.

αα. Ex Etymo: ad Lapides enim Pretiosos consignandos adpositissimus est Titulus ille Luminum & Perfectionum, quum Natura huc omne Lumen Splendoris et Perfectionis congesserit.

ββ. Tanquam invictum urgetur; nuspiam aliud quid commemorari, in quod hic Titulus congruat, sive, ut clarius dicam, nullum aliud Subjectum posse demonstrari, quam ipsas Gemmas Pectoralis.

γγ. Tanquam decretorium plane adducitur, quod in recensione Ornamentorum Pontificalium Exod. XXXIX. 10. sqq. Gemmæ sigillatim enumerentur, nulla injecta mentione de Urim & Tummim: unde firmissime concludi autumant, hanc appellationem ipsis tantum Gemmis competere. Denique

δδ. Tanquam maxime palmarium insistitur in Lev. VIII. 8. ubi in Pontificis Max. inauguratione Moses dicitur apposuisse חֹשֶׁן Pectorale super pectus Aaronis, et dedisse ad Pectorale Urim & Tummim: quod non aliter intelligi posse contendunt, quam Gemmas isti Pectorali fuisse præfixas. Ubi parum attendisse videntur V. D. sub Vocabulo הַחֹשֶׁן ipsas jam Gemmas quoque comprendi, multo ante hanc Cerimoniam, non utique manu Mosis; sed artifice dextra Bezaleelis, Exod. XXXIX. 10. sqq. Ob quam rationem ibi quoque nulla ratio moveri potuit, aut debuit, de ipsis Urim & Tummim, quippe quæ nullo artificio humano elaborata; sed Divinitus tradita fuerint, tanquam pignora Numinis, pectus sui Pontificis inhabitaturi, et omni Lumine ac Perfectione impletura.

3. Tandem attingenda nobis Sententia paradoxa Clar. Spenceri, qui nominibus hisce insigniri censet duo diversa Subjecta: atque

Urim

Urim appellatos fuisse Imagunculas quasdam, ad formam Teraphim effictas; Thummim vero fuisse dictas Gemmas quasdam, a Collo Pontificis dependentes, cum Inscriptione Perfectionum. Scilicet ex SS. Aegyptiis haece derivata autumavit, apud quos Pontifex Max. dicitur e Collo pendentem gessisse Gemmam, cum Inscriptione Veritas. Quum autem prior pars illius Sententiae vix Speciem ullam haberet, eam quaesitis quibusdam Coloribus commendare debuit. Argumentatur itaque

aa. Ex Etymo incertissimo vocis תְּרָפִים, quam idem valuisse ait, quod אוּרִים: ut enim posterius Lumina sonat; ita prius sonare vult Lucentia, vel Ardentia; idem quod et שְׂרָפִים: ut adeo designentur Angeli, et Angelicae Icunculae, quae Oracula reddiderint Consultoribus. Haec quam longe sint petita, quin imo vana et vaga, atq adeo SS. hisce nostris indigna, nemo non sentit. Ne jam dicam, ubicunq locorum, tanquam Idololatricum aliquod damnari illam Superstitionem, qua Israëlitae in suis Teraphim se se a vero Dei Cultu averterunt. Quem proinde neutiquam a Summo Pontifice exercitum fuisse, Ratio aut Religio admittant. Abutitur ergo V. D. Textu Hos. III. 4. unde

bb. Elicit paradoxi sui probationem. Conjunguntur אֵפוֹד et תְּרָפִים, quibus cariturі dicuntur Israëlitae longos dies. Neque enim hoc duo vocabula unam speciem Cultus Mosaici signant, atque ad unum Pontificis Max. Ornatum spectant, quemadmodum persuadere conatur; sed quemadmodum Ephod suo ambitu comprehendit totum Pontificatum et Caerimonias Mosaicas; ita Teraphim consignant omnem Idololatriam: ut Israëlitae dicantur multos dies sessuri, ut nec Templum habeant, et Pon-

tifi-

Pontificem; nec etiam Idololatriam exerceant: quemadmodum nostris hisce diebus misere Pontificiis se habet, quorsum Prophetia ista certissime collineat.

ז. Vicina est Hypothesis Clar. Clerici, ad Exod. XXVIII. 30. Concinnantis ex אורים & תמים splendidissimum Monile, Collo Pontificis circumdatum, atque in Pectus descendens: partim e Gemmis contextum; partim ex Unionibus. Omisit, ut apparet, partem invidiosiorem sententiæ Spencerianæ, speciosiorem alteram retinens, exornansq, et censet, אורים in hoc Ornamento esse Gemmas lucidiores, תמים Margaritas lectissimas, vel Uniones per Excellentiam: quorsumquoq Etymon illud superius adductum aurigabat, quasi תמים contractum foret ex התאומים gemini, gemelli, quo Vocabulo etiam Arabes utantur pro Margaritis majoribus, in quibus magnitudo simul et rotunditas cum splendore pari conveniant.

ח. Loco venit principium inter nostros Philologorum, qui statuunt אורים & תמים fuisse appellatas vel unam, vel geminam, Laminam Auream, Gemmamve pretiosam, quam Deus ipse e Coelo tradiderit Mosi, hisce titulis insculptam Luminum et Perfectionum; eum in finem; ut certissimum pignus haberetur Numinis præsentissimi, Pontificem Max. per omnia illuminatum, et in Veritate ac Virtute directum iri. Ita fere Clar. Alting. in Orat. de Ephod. et Pect. et H. Witsius in Aegypt. Utuntur gravissimis Argtis.

ט. Desumitur ex Exod. XXVIII. 30. ubi postquam Pectorale Judicii accuratissime esset descriptum, una cum his Gemmis, subjungitur: et dabis in Pectorale judicii Urim et Tummim, eruntq in Pectore Aaronis ad jura Israelis exequenda jugiter. Non potest sine torsione cum hoc loco conciliari, Opinio, cui ב. gradum tribuimus, atq app

atq apparet, Urim et Tummim a Gemmis Pectoralis omnino esse distinguenda: apparetquoque, aliquid hisce Nominibus designari, non quod a Coelo descenderit, et dependerit in Pectus; sed quod intus reconditum fuerit in Sinu Pectoralis: ut ita in medio veluti pectore essent deposita, ac commendata. Idem hocce

β. Luculentissime comprobatur ex Lev. VIII. 8. ubi enarratur Solennitas Inaugurationis Pontificalis per omnes partes, tandemq subnectitur, Mosen, quum Pontificem exornasset Ephodo & Pectorali, in illud tandem indidisse Urim & Tummim. Alienissimum est, quod V. D. hinc concludant, Urim et Tummim esse ipsas Gemmas Pectoralis: quum utiq in denominatione Pectoralis jam Gemmae comprehendantur: et absurdissimum foret cogitare; tum demum illas Pectorali fuisse insertas. Nihil aliud ergo relinquitur, quam ut aliquid distinctissimum a Gemmis per hæc duo Vocabula designetur, et quidem non manu Hominis paratum, sed Divinitus traditum, ut esset pignus Coelestis Numinis praesentissimi. Accedit,

γ. Quod jam superius tactum, quod Exod. XXXIX. 11. sqq: ubi Vestium Pontificalium Catalogus texitur, quemadmodum per Bezalelem fuerint praeparatae; enumerentur quidem XII. Gemmae, Pectorali insertae; sed nulla mentio moveatur de Urim & Tummim. Unde legitime concludi videtur, hac denominatione aliquid significatum, quod Deus ipse paraverit, et per Mosen Pectorali Pontificis indi voluerit. Ulterius autem

δ. Suppeditat Argumentum, quod post Captivitatem Babylonicam, restituto Templo, Pontificatu, et Cultu omni, Urim et Tummim tamen non fuerint reddita et restituta.

Ab[...]

DE URIM & TUMMIM.

Absentiam horum testatur Ezr. II. 63. Neh. VII. 65. Testaturquoque celebris Traditio Talmudicorum, qui inter V. Capitales Defectus Templi II. infra I. longe subsidentis, recensentquoque absentiam τῶν אורים & תמים. Ergo aliud quid, quam ipsas Gemmas Pectoralis significarunt, quippe quas Pontifex sine dubio Pectori habuerit praefixas. Denique

E. Ex mystica significatione omnia superiora adstringuntur, et confirmantur, quatenus sc. per hocce Sacratissimum Depositum oppignorata fuit plenitudo Gratiae Coelestis, arcano modo pectus Pontif. inhabitaturae, et omnibus Donis completurae.

Quae omnia valent eatenus, ut et nos hanc in partem maxime inclinemus: manente interim magno illo nodo, quem hactenus insolubilem agnoscimus; quod definiri pro certo nequeat, qualia fuerint haec pignora Coelestis Praesentiae. Ad quem nodum effugiendum maluerunt plurimi ipsas Gemmas Pectoralis amplecti: quam Sententiam gravioribus adhuc Scrupulis premi, palam fecimus. Progredimur ad

III. Quaestionem de Modo, quo Oracula per Urim et Tummim fuerint reddita: ubi iterum magna opinionum varietas et fluctuatio.

A. Venit Cabbalistarum, superius jam a nobis attacta, per litteras Nominis Tetragrammati, earundemq effulgentem Lucem, Responsa fuisse data. Vicina huic est

B. Multorum Talmudicorum, qui in subsidium advocant litteras ipsis Gemmis insculptas: unde volunt formas emicuisse in Aëre, atq inde Pontificem Responsa collegisse.

C. Est Aliorum, cum quibus facere creditur Josephus; nullas quidem promicuisse litteras e Gemmis; sed Gemmas ipsas extraordinario fulgore repplenduisse, si res Deo foret accepta; sin minus easdem Gemmas fulgorem suum subduxisse. Hoc quia etiam

multis

multis nostrorum, præsertim ii, qui per Urim & Tummim ipsas intelligunt Gemmas, Testimonium illud Josephi, quod valde urgent, accuratius a nobis est expendendum, ut quanti illud sit ponderis, facilius dijudicetur. Extat Antiquitat. Lib. III. Cap. VIII. §. 9. ubi dicit: Duplex Miraculum edi
„ Solitum, alterum in Gemmis Humeralibus; alterum in Pec-
„ toralibus. Utrumque sic exsequitur, et declarat: Ex Lapi-
„ dibus, quos dixi, Pontificem Max. gestasse in Humeris, al-
„ terum solebat radiare, quoties Deus Sacris propitius
„ esset, is nempe qui dextro Humero fibulæ usum præsta-
„ bat, eximio fulgore inde profulgente, sic, ut ab iis
„ etiam, qui procul adstarent, conspiceretur. Multo adhuc
„ admirabilius erat Signum, quod in XII. Gemmis Pectora-
„ lis edebatur: quum enim in Aciem prodituris Victori-
„ am annueret Deus, tantus inde Splendor exsurgebat,
„ ut omnibus manifestum fieret, Deum Opitulatorem ad-
„ esse. Cessavit autem Oraculum et Miraculum, utrumque,
„ suppresso illo fulgore, Annis CC. ante, quam ego hæc
„ Scriberem, Deo ob Transgressiones Legis irato, et averso.
Hactenus Josephus: de cujus hac narratione diversa sunt Eruditorum judicia, aliis, ut rem indubitatam amplectentibus; aliis, ut fabulosam, explodentibus. Meritissimo sane jure suspecta habetur: quin imo non videtur directe pertinere ad Quæstionem et Materiam præsentem, quæ agit de Modo Consultationis per Urim & Tummim: quum Josephus hunc fulgorem miraculosum longius extendat, et mirum quantum amplificet, ad dignitatem Muneris Pontificalis extollendam: quasi totus Populus testis fuisset illius Lucis præradiantis, quæ Numen propitium, et in Sacris obeundis, et in Bellis capessendis,

promitteret. Hoc autem videtur magis ex jactantia asseveratum; quam ex Veritate: quum nil tale, vel in S.Sacra ipsa; in Traditione Talmudica reperiatur. Neq alienum est a genio Josephi, talis Historiæ suæ phaleras circumdare, ad vetustam Gentis suæ gloriam celebrandam.

D. Est sententia Doct. Spenceri, qui ad hypoth. superius indicatam, de Imaguncul[is], Angelos repræsentantibus, censet, inde Oraculaquoq prodiisse, per Angelos clara voce edita. Hoc, ut alienissimum a Castiore Cultu Mosaico, supra jam rejecimus. Neq opus fuerit Paradoxum illud pluribus confutare. Commodior est

E. Opinio Car. Erici, censentis, Ornamento illo Collari, quod supra ex ejus mente descripsimus, solenniter circumdato, Pectus Pontificis interiore adflatu fuisse commotum, ad Oracula fundenda. Vicinum est,

F. Quod multi ex nostris Philologis tenent, inter quos nunc præcipue nominandus Car. Braunius in Vest. Sacerdot. qui etiam interiorem tantum illuminationem, et instructionem admittit. Sed hoc vix, ac ne vix quidem, componi posse videtur

α. Cum Exemplis, quæ narrantur 1 Sam. XXIII. XXVIII. in quibus omnia manifeste ducunt ad Consultationem clara voce postulatam a Pontifice, et clara item voce redditam a Deo. Accedit,

β. Quod Urim et Tummim distinguuntur a Spiritu Prophetico, interius illuminante, et adflante: ut proinde nil aliud relinquatur; quam diserta et sonora vox, e Sacrario emissa; vel et, ubi ad Arcam accedi non poterat, immediate e Coelo demissa. Quod ipsum occasionem præbuit excogitandi genus Oraculi, quod apud Talmudicos vocatur בַּת קוֹל Filia vocis, per quam intelligunt Vocem aliquam, miraculose per aëra al

lapsam

allapsam, ac velut e Dei Ore immediate emissam. Aliquoties in Evangeliis mentio facta talis Vocis, e Coelo delapsae, et Testimonium de Xto ferentis: ut insinuaretur, hunc esse Pontificem, qui amissum Veteris illud Oraculum per Urim et Tummim reddi solitum Eccleae suae restitueret. Sic defluimus ad

IV. Nostrum Membrum de Duratione Teôr Urim et Tummim inter Israëlitas. Celebratissima est Traditio Talmudica, Templo II. defuisse V. splendidissima Decora et Ornamenta Religionis; Arcam Foederis np. et Nubem lucidam super ea, sive שְׁכִינָה, et Ignem Perennem super Altari Aeneo, et Oleum S. Unctionis Pontificalis, et sacratissimum denique illud Signum, quod Urim & Tummim vocamus. Sane Redeuntes e Captivitate Babylonica hunc Defectum posteriorem agnoscunt Esrae II. 63. Neh. VII. 65. Cum Arca Foederis videl. et gloriosa Nube Numinis, in Vetorum residentis, haecquoque Symbola ablata fuerunt: ut via pararetur, decrescente dignitate Oeconomiae Veteris, ad Novam introducendam. Sunt

א. Viri D. qui jam longe ante Captivitatem Babylonicam hoc Oraculum cessavisse statuant: quin imo Car. Braunius illud cessasse autumat, inde ab Imperio Saulis, nisus hoc argto: quod adscito Rege, Regnum Dei in Populum, sive Θεοκρατία illa, qua Deus ipse Regem Populi sui agebat, esset spretum ac violatum. Atqui habemus exempla Consulti hujus Oraculi sub Regno Saulis, 1 Sam. XXIII. XXX.

ב. Alii autumant, siluisse hoc Oraculum, quum XII. Tribus scissae fuerant, et in duo Regna secesserunt.

quin

quia tum Pectorale Judicii, nomina XII. Tribuum præferens, quasi scissum et violatum fuit: neq amplius omnium nomine et consensu Responsa peti potuerint. Hoc habet quidem speciem aliquam, sed tamen pro certo et indubitato asseverari nequit.

Ac proinde malumus cessationem istam remittere in tempora destructi Templi I. quum Pontificatus, cum universo Cultu Mosaico, incepit labefactari, ut Vero Pontifici M. brevi deinceps ad templum suum affuturo, aditus pararetur, atq Corda Fidelium a Cultu Visibili ad Invisibilem ac Spiritualem transferrentur. Id taciteqavq innuitur in locis Ezræ et Neh. supra allegatis, quum dicitur, staturum esse Sacerdotem, qui Urim & Tummim iterum gestaret, i.e. qui Donum infallibile Sp. Sancti in Pectore ipso depositum gestaret: quod adhuc

V. Membro obiter nobis attingendum restabat. Nam per istud Celeste Regnus singulari quodam modo præfiguratum fuit, quod in nostro Vero Pontifice compleretur: cujus in pectore omnis Plenitudo Divinitatis habitaret: unde omnia Lumina et omnes Perfectiones Gratiæ et Gloriæ in spirituale Sacerdotium N. Testamenti dimanarent. Quod jam pro fonte uberioris Meditationis digito monstrasse sufficerit

§. XVI. ibidem.

Non possumus Materias hactenus pertractatas e manibus dimittere, antequam discutiamus aliam adhuc gravem et illustrem Quæstionem, cum superioribus intime connexam: qua controvertitur; Num Vestibus Aureis indutus Pontifex Sectorum

intra

Sanctorum intraverit; an potius easdem exuere debuerit, et IV. tantum Vestimenta Linea retinere?

AA. Ad posteriorem Opinionem nunc quidem accesserunt omnes fere Philologi; qui Antiquitates Hebraicas tractant, praeeuntibus Talmudicis, magno consensu hoc inculcantibus: praelucente etiam, atq; hoc ipsum exigente, expressa Sanctione Lev. XVI. 7.

BB. Non desunt tamen etiamnum Magni Nominis Eruditi, qui in contrarium nituntur, atq; posteriorem illam Legem existimant, supplendam esse, et exponendam ex alia Lege, quae Sancit, ut Pontifex Max. Vestimenta Aurea gerat jugiter, quum compariturus esset ante faciem Jehovae: ex qua Comparitione hunc utiq; ingressum in Sanctorum excludi non posse contendunt. Videatur Exod. XXVIII. 12. 29, 30. 34, 35. 38. ubi Vocabula תָּמִיד jugiter, et לִפְנֵי יְהוָה ad faciem Jehovae, aliquoties repetuntur, et religiose inculcantur. Quo nomine Car. Schmidius tandem infert, miram esse audaciam eorum qui vel unicum excipere sustinent diem. Similis est calculus Junii ac Tremellii, Piscatoris, Pissetii, aliorumq; quin ipsi Praeclari Nostri Belgae in Not. ad Lev. XVI. 4. submonuerunt, Aurea Vestimenta omnino esse supplenda, ex Contextibus disertis Exod. XXVIII. Quid quod inter Judaeos Aben Ezra Suorum Castra deserens hac in parte idem Supplementum urgeat in Comment. Lev. XVI. 4.

AA. Pro Cumulo producitur quoq; ab iis, qui hasce partes tutantur, auctoritas disertissima Josephi, de Bello Jud. Lib. V. Cap. V. §. 7. Edit. noviss. ubi agens de Ornamentis Aureis Pontificis ita concludit tandem

Atq hunc quidem Vestitum alio tempore non gerebat, sed simpliciorem assumebat, verum quum in Adytum intraret: intrabat autem quotannis semel solus, quo die mos erat, omnes solenniter Deo jejunare.

bb. Huic jam primae acici ita instructae, alias quoq Copias, tanquam Succenturiatuoy, adjungunt, petitas ex ratione ipsorum Sacrorum, eorumdemq sublimiore ac Mystico Scopo. Et quidem

α. Ita ratiocinantur V.D. quod quum Ingressus Pontificalis in SSanctorum totius Ministerii augustissimus fuerit Ritus, utiq Convenientissimum judicari debet, Ornamenta augustissima fuisse portata in solenni Comparitione coram Arca Foederis.

β. In hoc idem ita instatur: quod quum Nomina XII. Tribuum Israëlis insculpta fuerint Femmis Pectoralis, utiq vel maxime in memoriam earumdem Tribuum coram Throno Dei, et Arca Foederis, jam nec cum ratione, nec cum Religione illa satis congruens censeri possit, Aureum illud decus et pondus totius Ministerii Pontificalis depositum fuisse in ista solennissima Ingressione. Superimponitur adhuc

γ. Quod omnia cumulare, complere, et omnem dubitationem revincere, ac discutere posse creditur. Assumitur quippe, tanquam fundamentum inconcussum, per Ingressionem illam Pontificalem in SSanctorum praefiguratam fuisse gloriosam et triumphalem Ascensionem Veri nostri Pontificis in Coelos, ejusq magnificentissimam Consessionem ad Dextram Patris. ubi non absonum tantum, sed & absurdissimum foret, splendidissima illa Pontificatus Max. Domino nostro detrahere: quippe quae tum demum in pleno die refulsere.

Specio-

LIBER II. CAPUT I.

Speciosissima profecto sunt haece Argumenta, quibus nil aeque solidi obmoveri posse videtur. Si tamen rem accuratius examinemus, et statumque Quaestionis multimodis implicitum rite explicemus ac figamus, Victoria magis inclinabit in contrariam Opinionem, atque ratiocinationes ex Convenientia maxime huius Caerimoniae omnem dubitationem et disputationem dirimere poterunt.

א. In antecessum praemoneo: Confusius agere illos, qui Quaestionem ita proponunt: Num Pontifex Magno die Expiationis Vestimenta Aurea debuerit induere, an Linea tantum, Aureis omissis? Certissimum enim est, utrumque illum Cultum, et Splendidiorem Aureum; & humiliorem Lineum, in ista Solennitate obtinuisse. Nempe

ב. Die isto Solennissimo Expiationis Publicae aliud erat Ministerium Ordinarium, quod Pontifex administrare debebat, quo praeparabatur via ad Ingressum in Sanctorum; aliud Extraordinarium, quum in ipsum Sanctuarium Interius esset penetrandum cum Suffitu et Sangvine Piaculari, ad Arcam Foederis deferendo. Quae ad Ordinarium pertinebant Ministerium extra Adytum, in Aureis Vestimentis erant obeunda; Extraordinarium autem illud Munus ingrediendi intra Velum in Lineis tantum Ornamentis poterat peragi. Hoc

I. In Cod. Ioma Cap. III per aliquot §§. accurate delineatum, atque fundatum est in Lev. XVI. ubi eadem Commutatio Vestium Aurearum et Linearum tam expresse describitur, ut ne minima quidem Umbra ambiguitatis relinquatur.

(–) Quum enim v. 2. praemissum esset, non semper intraturum Pontificem in Sanctuarium Intimum, sed tantum ad praescriptum unius diei per omnes Circumstantias, deinceps subnectendas, v. 4. sancitur, summa cum accuratione, ut induatur in isto Actu obeundo

Tunica

Tunica Linea, et Femoralibus Lineis, et Balteo Lineo
cingatur, Cidari denique Linea contegatur, quippe
quae sint בִּגְדֵי קֹדֶשׁ Vestimenta Sanctitatis, i.e. ta-
lia, quae ipsi Caerimoniae Sanctissimae tantum conveni-
ant. Repetitio illa quaternaque Vocabuli בַּד li-
num summam inculcat Sollicitudinem ac Religionem,
qua cavendum erat, nec quidquam aliud, vel adjice-
retur, vel adjungeretur. Haec jam Ornamenta Linea
distincta fuisse ab octo illis, quae vocabantur Aurea,
in quibus reliqua hujus diei extra Sanctorum erant administranda,

(=) Clarissime liquet v. 23–25. ubi dicitur, post Expi-
ationem in Penetrali Interiore peractam, tunc Aa-
ron exuet Vestimenta Linea אֶת בִּגְדֵי הַבָּד, qui-
bus convestitus fuerat, quum intraret in Sanctorum,
et deponet ea in Tentorio Conventus, abluetque Car-
nem suam aquis, et induet sua Vestimenta אֶת בְּגָדָיו
i.e. Ordinaria illa Aurea, quae octo partibus consta-
bant, atque immolationem Holocausti sui et Populi per-
aget. Illa nempe pertinebant ad Ordinariam functi-
onem, & requirebant quoque propterea Ordinariumque-
que Vestitum & Cultum.

(≡) Addatur v. 32. ubi iterum in eadem distinctione
& emphasi nominantur בִּגְדֵי הַבָּד Vestimenta Lini,
sive quatuor illa, v. 4. praescripta, quae assumenda
essent ab omnibus illis, qui Aaroni essent successu-
ri per omnem Seculorum Seriem, quando eandem
Solennitatem Expiationis Publicae obirent, intrando
in locum Sanctissimum: quo nomine eadem ibidemque
appellantur בִּגְדֵי הַקֹּדֶשׁ Vestimenta Sanctita-

tis i.e.

LIBER II. CAPUT I.

Vestimenta Sanctitatis — huic Sanctissimo actui dicata per specialem Sanctionem.

II. His ce disertissimis auctoritatibus accedit Testimonium Philonis Iudaei de Insomniis p. 597. ubi ait, Principem Sacerdotum, quoties rite immolaturus accederet ad Altare, indui splendidissimo Ornatu, qui Coelestium Siderum quamdam imaginem referret in ipso Pectore: perfectissimam tamen speciem ejusdem in Vestimentis Albis praeluxisse, quum intraturus esset εἰς τὸ ἐσώτατα τῶν Ἁγίων: quippe depositis Aureis, assumendam fuisse lineam Vestem purissimam, quae designaret ejusdem puritatem intaminatam.

III. Ne Iosephus quidem, qui contrarium tradidisse creditur, aliam fovere potuit mentem: vel enim inspectio sola verborum, quae supra producta sunt, ut Locum aliqua labe luxatum & infectum ostendit, ita facile arguit, idem eum insinuare voluisse, quod ex Philone adductum. Non enim increpandam judicamus Oscitantiam Iosephi; sed Librariorum ejus, qui non animadverterunt, se repugnantia directis frontibus inducere, et hiantem plane efficere Orationem: quae pulcre cohaerebit, si Particula Negativa deleatur. Omnino ergo legendum: Ταύτην μὲν ἤσθητα, etc. Μόνον δὲ ἀνελάμβανε εἰ ἴοις εἰς τὸν ἄδυτον. Ita rotundissima omni ex parte, et teres erit Oratio, quae alias Scabra atque impedita. Ita quoque Sanus demum Iosepho quoque constabit Sensus. Quemadmodum enim Verba nunc sonant, omnia apertam falsitatem spirant, et cumulatissimam absurditatem, quasi Pontifex Aurea tantum Vestimenta

quae

gestare debuisset, quum intrandum foret in Sanctorum, omni reliquo tempore simpliciorem & humiliorem Ornatum gerens. Ista auctoritate sic in nostram sententiam reducta, reliquaquoque argumenta ad mentem eandem revocabimus. Observetur ergo,

aa. Vocabulum תָּמִיד jugiter, non debere tendi ultra scopum. Sancitur np. Exod. XXVIII. ne unquam Pontifex ad Ministeria Templi obeunda accedat, nisi hocce suo S. Ornatu. Observavit hoc etiam magno die Expiationis, atque in hisce Aureis Vestibus administrare debuit, quicquid extra Sanctorum potuit defungi. Sed ad perfungendum Munus illud interius speciali jam Sanctione Aurea deponere, et mera Linea assumere tenebatur. Quod jam utique isti Vocabulo תמיד nihil derogat. Et jam potius mirari possemus illorum audaciam, qui severissimum illud, & religiosissimum Mandatum speciale, Lev. XVI. 4. pro Cerimonia magni diei inculcatum, & pro solennissimo illo ingressu unico, enervant per generalem illam Legem. Eadem Resp.

bb. Resolvit nodum, qui nectitur ex Phrasi לִפְנֵי ante faciem Jehovae gestare Ornamenta illa Aurea, & quidem לְזִכָּרֹן in memoriale, vel Commemoratorium XII. Tribuum Israëlis: nam formula illa iterum Usu suo generali complectitur universum Ministerium Pontificale, et tantundem sonat, ac in Templo versari, & munia sacrificandi atque adolendi obire. Non tantum autem Pontifici propria erat Comparitio ante faciem Jehovae; sed etiam Sacerdotibus, Levitis, atque

atq adeo universo Populo, qui in Templo adorans etiam ante faciem Dei se se sistebat, Deut. XXVI. 5. 10. XVI. 16. Esa. 1. 12. Alia autem erat ratio & conditio ingressionis in Sanctorum, ubi dicitur Pontifex coram Propitiatorio se se sistere Lev. XVI. 2. et quidem non jam, ut qui possideret libertatem ingrediendi; sed qui eam sibi per Sanguinem Foederis deberet comparare pro se, & pro universo Populo. Comparebat ergo tanquam sub Reatu, quem solenni Ritualo introductio deberet delere, ut ita jus ad Thronum Gratiae & Gloriae accedendi impetraret.

Sic proposito rerum aspectu omnia immutantur, et jam ultro elucere incipit, quare Aurea Vestimenta in isto solenniore ingressu deponi debuerint. Non enim competebat Personae sub Reatu latenus agenti, et Reum Populum repraesentanti, magnificentissimo suo Ornatu coram Area comparere, et Nomina XII. Tribuum Israëlis secum jam introducere ad intimam cum Deo Communionem, tanquam Regale illud Sacerdotium, quod plenissimo jam jure Filiorum Dei gaudebat: illud enim jus per Sanguinem Expiatorium demum poterat comparari, atq ita Thronus Gratiae & Gloriae lactenus Peccato interceptus, recludi & aperiri.

Quod ergo instatur ab altera parte; Actum dignissimum totius muneris Pontificalis requisivisse etiam dignissima et splendidissima Ornamenta, jam facile retorqueri poterit, atq ad genuinum suum Scopum hujus Sanctionis Caerimonialis revocari. Procul dubio L. Redemtionis pretium, et pondus Satisfactionis Xti spectemus, effusio Sanguinis, et mors Pontificis nostri, est dignissimus

pax

pars Munerum ejus. nemo tamen propterea concluserit, Dominum nostrum, quum Mortem illam maledictam subiit, Gloriam suam summo cum splendore exeruisse, et ostendisse, quum Gloriae exinanitio & splendoris omnis depositio, per quam via paretur ad gloriosum illum splendorem, quo per Expiationem procuratam deberet convestiri.

§. Omnia ad hunc Ductum et conspectum pulcerrime quadrant. Sub Vet. np. Oeconomia Pontifex Max. poterat quidem Victimam Piacularem offerre, sed ipse tanquam Piaculum mori non poterat. Ut tamen aliquam speciem Mortis, a se obitae, repraesentaret, deponebat Aurea Vestimenta ingressurus ad Thronum, atq omni sua praeeminentia se se exuebat, humili Cultu coram Deo se se sisteus cum Sanguine isto Piaculari, quem ipse quum fundere non posset, de Piaculo Umbratili, recenter mactato, offerebat.

§. In qua jam Caerimonia ultro quisq intelligit, ob oculos positam fuisse Israëlitis istam supremam Expiationem, per verum Pontificem proprio Sanguine procurandam, quum semel Deo immolaturus esset in Victimam Piacularem, atq ita impleret omnes hasce figuras et picturas Caerimoniales.

§. Non aliam rerum faciem obversari potuisse Fidelibus Vet. Testamti. adhuc clarius et distinctius patescet, si attendamus ad Circumstantias magni hujus diei Expiationis: quae omnes nos manuducunt, non ad gloriosam Ascensionem Xti in Coelos; sed ad humiliorem illam Comparitionem, qua tanquam Sponsor, idemq & Victima, & Pontifex, semel immolaturus, cum suo illo Sanguine recentissimo in media morte Deo Judici & Vindici Laesae Majestatis semet obtulit, & praesentem sistit tanquam desideratum diu Piaculum illud, quod Coelestia nobis Templa reseraret. Ut hoc per partes demonstretur, attendi velim,

ad. Ad

αα. Ad religionem Severissimam hujus Diei, quæ nihil commune habebat cum Triumphali aliqua Pompa, aut læta aliqua Festivitate Victoriæ: erat enim Dies luctui & moerori destinatus, cum jejunio & lacrymis transigendus, cum Summa omnium afflictione & humiliatione coram facie Dei, quippe qui agnoscerent se dignos Exitio & Execratione onustos, ac propterea Sanguinem Expiationis cupiebant pro se per Pontificem spargi, & a Deo admitti.

ββ. Quamdiu ergo Pontifex cum Sanguine Piaculari in Sanctorum morabatur, tamdiu totus Cœtus Israëlis inter spem et metum hærebat: ne forte Sacra minus rite procurata gravi aliqua Poena Pontificem & Populum implicarent.

δδ. Ingressus hicce Pontificalis incidebat in illum articulum temporis, quum Sanguis Victimæ Piacularis adhuc fumaret, et Cadaver extra Castra deportatum cremaretur. In quibus omnibus vividissima est pictura M. nostri Pontificis, Maledictionem in Cruce Subeuntis, atque in dirissimam Scilicet mortem immolantis. Hic erat vere dies luctus et moeroris, dies gravissimæ afflictionis, quo Fidelium Corda infinitis Curarum fluctibus volvebantur, & quo Xtus veluti crematus Igne Iræ Divinæ cum Suomet Sanguine comparuit ante Thronum Supremæ Majestatis. Ad hocce verum Centrum & meditullium hujus Mysterii nos dirigit & deducit

γγ. Illustris ille Contextus Hebr. X. 19, 20. habentes igitur fiduciam ad ingressum Scti Sanctorum per Sanguinem Jesu, quem initiavit nobis via recenti & viva διὰ τοῦ καταπετάσματος per Velum, τοῦτ᾽ ἔστι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, per Carnem ejus. Non manent in vero Textus illius aspectu, neq Scopum

genui

genuinum feriunt, qui hic cogitant de Ascensu Xti. glorioso in Coelos: omnia enim arguunt, & evincunt, Apostolum aciem fidei nostrae defixam velle in articulum Mortis Pontificalis Xti. quum Carnem suam super Cruce lacerandam dedit sub nostra, quam susceperat, mole Maledictionis: hoc enim erat illud καταπέτασμα SSctorum, i.e. interiori cum Deo Communioni oppositum. Illud autem Velum sine ullo dubio scissum fuit, quum Xti. mortalis Vita per mortem scinderetur, ac proinde in illum articulum praecise incidit Ingressus ille Pontificalis nostri Mediatoris in SSctorum ad Sanguinem Foederis super Arca Foederis, & Throno Majestatis Divinae spargendum, atq aeternam Redemtionem inveniendum, & impetrandum ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ in suo ipsius Sanguine: ut ita omni Velo remoto, omni memoria Peccati deleta, initiaretur & pro Fidelibus dedicaretur via recens & viva, per quam & ipsi plena cum Fiducia ad Thronum Majestatis Divinae quotidie possent accedere. In eundem hunc scopum, atq in eandem hanc mentem profundiorem collineat

EE. Alius adhuc Textus insignis Hebr. IX. 11,12. qui quidem ita vulgo declaratur, ut contra nos facere videatur; sed penitius inspectus & examinatus unice pro nobis facere reperietur. Verba sic habent: Xtus. Pontifex futurorum Bonorum non per sanguinem hircorum & agnorum, sed per proprium Sanguinem semel intravit in SSctorum, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος. Verti solet illud Aoristum in potestate Praeteriti, ac

Sensus foret; postquam invenisset Redemtionem aeternam. Hoc applicatur ergo ad ingressum & ascensum Xti. gloriosum in Coelos, postquam super Cruce Expiationem peregisset. Sed ita derelinquitur verus ille adspectus Apostoli, quem nobis aperuit per oppositionem Veteris Pontificis, & nostri hujus Novi. Sub Vetere enim Oeconomia Pontifex non poterat ingredi cum proprio Sanguine, sed tantum cum Cruore hircorum & agnorum, ut illum ad Arcam Foederis Ceremonialiter reperegeret, per quem Viam Ceremonialiter λύτρωσιν inveniebat, sed non αἰωνίαν, quippe quae esset umbratilis tantum & evanida, repraesentans illam vivam, quam verus noster Pontifex impetraret & inveniret, quum semet ipsum in Victimam Piacularem immolasset, atq ita proprium suum Sanguinem recenter fusum in media morte ad Tribunal Dei Judicis detulisset, ibiq respersisset. Sic ultro dilucescet, illam formam Aoristi exserere Praesentis Temporis potentiam, & omnino vertendum esse; Redemtionem aeternam inveniens, sibiq comparans: hoc enim Factum in illo eminentissimo actu Pontificali τοῦ θεανθρώπου, quando Anima in manus Paternas tradita cum Sanguine pretiosissimo comparuit ad Thronum Majestatis, tanquam potentissimus ille Redemtor Generis Humani, qui jam per mortem suam destruxerat omnem vim mortis, & maledictionem omnium unus exantlaret, atq sic sibi suisq jus acquireret Vitae & Immortalitatis gloriosae.

88. Cumulum hisce omnibus imponet Ebidem Heb. IX. 25, 26. argumentatio Apostoli subtilior: cujus vis & nervus hinc

unice

unice intelligi, ac persentiri potest. Filum Orationis v. 24. ita suscipitur: Non enim in manufacta Sancta ingressus est Xtus, quae sunt antitypa verorum, sed in ipsum Coelum, ut nunc compareat ad faciem Dei pro nobis. v. 25. Deinde: Neq ut saepius se se offerret, quemadmodum Pontifex ingreditur quotannis in Sanctissima cum Sanguine alieno. v. 26. Quandoquidem oportuisset ipsum saepius pati a fundatione Mundi: nunc vero semel in Consummatione Seculorum ad abolitionem Peccati per suum ipsius Sacrificium manifestatus est. In hac profunda & subtili deductione gravissimi Mysterii palam supponitur, quod nostra explicatio & applicatio palam supponit, & adstruxit, Pontificaliter Dnum. nostrum ingressum esse in Sanctissima Adyta ad Expiationem perpetrandam & procurandam, eo ipso momento, quo Sanguinem Vitamq in Cruce effudit, & tanquam verum illud, Veteribusq Cerimoniis adumbratum Piaculum supremo Judicii repraesentavit. Hoc adspectu Connexuq rerum illatio & argumentatio Apostoli validissime stringit: nisi noster Pontifex semel patiendo, & animam suam in mortem effundendo, solidam & aeternam Expiationem potuisset impetrare, quam saepissime eidem patiendum fuisse, & quidem inde a primordiis Mundi. Altera autem Sententia, quae adfert, Apostolum hic loqui de Ascensu Xti glorioso in Coelos, relinquit aliquid hians, & male connexum: quia tunc divellitur illa interior Copula, qua Apost. ingressionem in Adytorum cum Morte ita complicuit, ut uno eodemq momento & actu extitisse con-

cipiatq

concipiantur: quemadmodum revera per rerum Naturam nihil obstaret, quominus Xtus Pontificaliter mortuus, Regaliter saepius Coelum potuisse conscendere, & Victoriae suae splendidissimos ducere Triumphos.

Concludamus ad ea, quae hactenus dicta, & deducta, atq. Mysterium Ingressus Pontificalis in Sanctorum ita evolvamus: Pontificem nostrum eum rite obiisse, & explevisse secundum omnes Circumstantias, & Ceremonias Veteres, illo ipso die, quo dirissimam mortem occubuit, & pretium Sanguinis sui tanquam propria manu obtulit VIVUS simul & mortuus. Hoc enim est grande illud Arcanum nostrae Religionis, quod habeamus Pontificem, Divina simul & Humana Natura ideo in Unitatem Personae consecratum, ut quum Mortem, omnemq. ejus Maledictionem cum maxime sentiret, vivus tamen vim Vitalem suae mortis Deo Patri posset exhibere & repraesentare. nb. Per Unionem Hypostaticam in ipsa morte Dn. noster mansit immortalis immortalis ille Princeps Vitae, non tantum secundum Divinam Naturam, ut vulgo res concipitur, sed etiam secundum Humanam Naturam: Integritas enim Personae non fuit violata, & Θεάνθρωπος mansit Θεάνθρωπος, etiamsi partes ejus quaedam mortales violatae forent. Hoc est, quod ipse Dn. nobis insinuat Apoc. I. 18. Ego sum primus & ultimus, & vivus ille, qui mortuus fui, et ecce vivus sum in Secula Seculorum. Non debent membra arctissime conjuncta divelli, quasi Dn. diceret, se, quum vivus esset, illam Vitam cum Morte commutasse, & deinde revixisse. Nihil minus intenditur. Nihil minus dignum Majestate loquentis: quae tum demum implebitur, & pleno

in Die

in die replendebit, quum omnia membra in Complexu accipientur hunc in sensum: Qui quum essem vivus ille, mori nescius, Princeps ipse Vitae, mortem tamen vivus subivi, in eaq vivus remansi, ut inde redivivus emergerem, gerens Claves Mortis & Inferorum.

Aliquantulum interim Scrupuli facessere posset, quod Hebr. IX. 24. tam expresse dicatur Xtus ingressus in ipsum Coelum νῦν ἐμφανισθῆναι ut nunc compareat ante faciem Dei pro nobis. Illa Comparitio Pontificalis, quae nunc fit, videtur arctissimo & indiviso nexu cohaerere cum ingressu in Coelos: qui ingressus proinde ad Ascensionem in Coelos magis referendus videri posset, quam ad illum actum, quem nos in articulo Mortis concipimus & constituimus. Multa, fateor, species. Sed species tantum, non ipsa Veritas Conclusionis Apostolicae, quae hic duo concipit membra.

(—) Exhibet Pontificalem illum ingressum, qui factus in media Morte, cum proprio Sanguine propriis veluti manibus oblato, et ad Thronum Supremae Majestatis sparso.

(=) In illa Comparitione, perpetuum duratura, quae esset fructus gloriosissimus Expiationis, per Sanguinem Piacularem perpetratae et acquisitae, ut nunc, i.e. per omnem Seculorum seriem, M. noster Pontifex super eodem Throno, quem Sanguine suo imbuerat, & dedicarat, una cum Patre suo resideret, atq inde potentissimam suam Intercessionem applicaret, secundum illud Oraculum Veteris: Redime hunc, ne descendat in foveam, inveni λύτρον.

Distinctionem hancce in duo membra, ut res ipsa ultro suggerit, ita palam confirmat vocula νῦν, quae tanquam

quæ tanquam Effectum præcedentis Ingressus considerat præsentem Comparitionem Pontificalem nostri Pontificis, fundatam & firmatam super progressa illa, qua in media morte fuit perfunctus. Debentq interim hæc duo membra ita distingui, ut posterremum a priori separari non queat, quippe quod ex priore illo redundet. Dicam adhuc clarius. Velum, quod Sactorum antea præcludebat, in Carne Xti morientis disrupto, Peccato expiato, Maledictione deleta, omni potentia mortis debellata, Redicivus Mediator non potuit non reclusum sibi Sacrarium Delyte pro se & suis occupare, atq Arcam Foederis tanquam Thronum Gratiæ & Gloriæ conscendere, simulq patentissimam & recentissimam Viam omnibus suis illuc initiare et aperire: quemadmodum L. Pontifex V. Testmti. potuisset Veram Expiationem afferre, et Velum removere per illum, quem introduxerat, Sanguinem, eo ipso sibi, et universo Populo, jus impetrasset ad ipsum illud interius Penetrale ingrediendum et occupandum, cum plena Libertate Filiorum Dei, et cum cumulatissimo Honore, et Gaudio Sacerdotum Regalium.

CAPUT VII.

DE SYNEDRIO MAGNO.

§. 1.

Quæ universo hocce Cap. delineantur, composita sunt, et concinnata ad Talmudicorum Statuta atq Decreta: quæ quidem, ut in aliis Materiis bene multis; ita præsertim in hac, nec satis firma sunt, nec sane tuta: quum multa vel palam, vel occulte, eo tendant ac dirigantur, ut Turrim quamdam Babylonicam, ut ita dicam, ædificent, ex qua Nomen Xtianum, et Doctrinam Euangelicam, impetere et infestare moliantur, dum talia sanciunt, quæ infallibilem Auctoritatem M. Synedrii extruendo, Crucem Xti, et multas Veritates Euangelicas, destruere laborent. Habemus qq. in eadem hacce Descriptione Talmudica, qua Originem et perpetuam Durationem Summi Synedrii cum Suprema Auctoritate, et Spiritu infallibili inculcant, evidentissimum Specimen Fermenti Pharisaici, se se supra omnem modum et modestiam inflantis, atq depingentis talem Reipubl. et Constitutionis formam, qualem ipsi obtinere et regnare vellent, quando collapsa et destructa rerum facies pro ipsorum spe tandem aliquando resurgere, et reflorescere posset.

§. II.——IV.

Præmissa hac Admonitione, ingredimur nobilem et momentosam Quæstionem de M. Iudæorum Synedrio, quod Talmudicæ Causæ proram constituit et puppim ac propterea ab ipsis suo more

deriuatur

derivatur ex Monte Sinai, et ex illa Sanctissima Traditione Orali, qua omnia sua Commenta, tanquam Divina commendant, prætexunt, inculcant. Ajunt itaq, Mosi in Monte Sinai versanti mandatum fuisse, ut LXX. Virale Collegium conjecrarer, quod cum ipso omnia gubernaret, et sub influxu infallibili Spiritus Dei dirigeret, post mortemquoq ejus continuandum per omnem Seculorum seriem: ut quæcunq tandem formam vel Reipubl. vel Regni obtineret, Synedrium M. supremam quoq teneret Potentiam, sub quam ipsi Reges subjicerentur.
Philologi nostri Xtiani hisce Decretis non quidem per omnia cæco impetu assentiuntur, sed tamen in quam plurimis subscribunt, atq hinc vulgo, tanquam indubitatum, assumitur, supremum hocce Concilium in Gente Judaica viguisse inde a primordiis usq ad excidium et internecionem Hierosolymorum. Rari dissidentes. Sunt tamen, qui dissideant, atq negent, ante Captivitatem Babylonicam tale Synedrium extitisse: alii aliter Originem concipientibus. Ut Controversia hæce prudenter disceptari queat, ab utraq parte Aciem instruemus, sequuti ductum Clar. Autor. & Argumentorum tum gravitatem, tum levitatem, præbebimus sentiendam. Quod adtinet ad

N. Aciem, quæ pugnat et tendit pro Antiquitate et perpetua Duratione hujus supremi Consessus. Decem rationibus eam distinere proponemus communitam, aliis firmioribus; aliis infirmioribus, et precario conquisitis.

A. Præcipuum firmamentum est, quod Num. XI. 17. Moses a Socero suo admonitus, legatur sibi adjunxisse LXX. Seniores, qui Onus gravissimum regen-

regendæ multitudinis immensæ Sublevarent. Creditur esse Argumentum plane invictum: quod tamen bene expensum vix quidquam ponderis habere reperietur.

a. Enim apparet, aperte falsum esse, quod Talmudici jactant, Jussu Dei hos Assessores Mosi additos, quum monitu Soceri hoc fecerit Moses, nihil inde de Suprema sua, et infallibili supra omnes Auctoritate deminuens et demittens; Sed tantum illam sibi opem multorum humerorum adsciscens, ad tanto facilius et promtius Caussas, Lites, Negotia tanti Populi, expedienda. Liquet ergo

b. Fuisse hocce Extraordinarium Adjumentum a Mose institutum, quamdiu duraret iter per Desertum, non autem, ut in perpetuum remaneret: quia alias hoc ipsum vel Dei Nomine, vel Suo saltem, sancire debuisset, tanquam quod foret fundamentum et firmamentum Publici Regiminis per omnia secula.

c. Manifestissime quoque apparet, hosce Seniores Mosi fuisse Subordinatos, ejusque tantum nomine et auctoritate administrasse Jurisdictionem, sub unico Rectore et Arbitro. Hæc omnia clarissime patent ex collatione cum Exod. XVIII. 17. sqq. usque finem, et Deut. I. 9. cum aliquot sqq. Omnia autem hæc procul absunt ab illa delineatione et constitutione hujus Dycasterii Supremi, quam vulgaris Sententia inculcat.

α. Instatur tamen pro ea, quod Num. XI. 17. Spiritus Dei dicatur communicatus cum his Senioribus, et quidem is ipse Spiritus, qui super Mose residebat. Inde Talmudici concludunt, Suppremam et infalli

falli

infallibilem autoritatem iis attributam. Sed Verba inspicienti in Sua Serie liquebit, particulam tantum illius Spiritus extraordinario modo, et ad breve tempus attributam: ut sic que sub Mose ad sublevandum eum sustinere deberent, honoratius et efficacius susciperent, hoc Signo Divinæ approbationis cohonestati. Idem responderi potest

β. Ad Instantiam, qua v. 25. ejusd. Cap. urgetur, hos Seniores ad instar Mosis prophetasse: nam in illo ipso v. statim subnectitur, temporarium fuisse illud donum, et quidem brevissimæ durationis, quippe qui dicantur, non ulterius perrexisse in prophetando. Ut proinde nil aliud inde concludi possit ac debeat, quam quod modo insinuatum, eos Lumine quidem Prophetico Divinitus fuisse afflatos et perfusos, sed eum tantum in finem, ut veluti inaugurati, et veluti sub hujus Doni pignore commendati, tanto gratiores forent populo, eundemque sub Mose obsequentiorem sibi haberent.

B. Pro Vetusta Institutione et Duratione M. Synedrii Argtm. in S. nostra subjungitur et eo, quod crebra fiat mentio Tribunalium, et Domuum Judicii. Hoc tamen nimis generale esse nemo non sentit, quandoquidem nemo unquam negavit, extitisse Tribunalia et Judicia in Israële. Controversia tantum hoc est: an Synedrium illud M. Septuaginta Virale extiterit, et quidem tanta potentia auctum, quanta vulgo supponitur. Eadem infirmitas

C. Argti. quin major adhuc, quum in S. nostra additur, provisum fuisse a Regibus Piis, ut identidem res collapsæ restituerentur, atque ad formam a Mose præscriptam revocar.

revocar.

rentur. Iugulatur potius Caussa per hanc Instantiam quam ut evincatur: quia tunc Reges de Solio deponi potius debuissent. Infelicius quoque hoc tangitur, quod ad istam saltem Argitationem Reges debuissent se se auctoritati istius Supremi Consessus subjicere, quippe plus quos Suprema auctoritas unice resideret. Iam vero contraria omnia obtinuisse liquet, et Reges illi Pii, qui Rempubl. et Religionem reformasse leguntur, id sua auctoritate leguntur effecisse, non autem auctoritate Synedrii M. quod in talibus principe saltem loco debuisset commemorari. Imbecillum quoque et

D. Plane mancum, quod adducitur de Scribis et Pharisaeis sedentibus in Cathedra Mosis, et propterea audiendis. Id longissime divergit, et divagatur, a praesenti Quaest. nam super Cathedra Mosis sedere est habere publicam auctoritatem docendi, et ex praescripto Mosis decidendi, quid verum justumque sit. Catenus erant audiendi, atque eatenus ab eorum Ore erat pendendum. Hoc nihil M. Synedrio attribuit, ne quidem ad illud pertinet, sed tantum spectat Doctores Ecclesiasticos, quorum Doctrina Mosi conveniens recipienda, sin repugnans foret, utique repudiandas: neque enim infallibilem iis, aut supremam auctoritatem vindicare voluerit Dominus, severus eorundem Censor et reprehensor, qui a fermento eorundem cavere toties monuit

E. Pariter adhuc claudicat, quod allegatur ex Jer. XXXVIII. 15. ubi in negotio capitali Prophetae Rex fatetur, se nil posse adversum adversum Principem. Inde aude concludunt nonnulli, Regem Synedrio fuisse subjectum,

et ob-

obnoxium. Atqui tota Series contrarium clamat, et Rex indignabundus Principibus et Aulicis suis objicit ipsorum importunitatem, qui sibi arripiant id, quod soli Regi debuissent relinquere. Pergam contexere

F. Quod ab aliis adhuc huic Caussae fulciendae adhibitum. 1 Sam. VI. 19. legimus Bethsemitas, quum Arcam temerassent, gravi Plaga affectos, et cecidisse ex iis LXX Viros L Millia Virorum. Illa Constructio, quae Copulam ET omisit, ansam praebuit arripiendi et hic LXX Virale Synedrium, quasi illud ob dignitatem principe loco poneretur. Sed absurdissime profecto: quum abhorreat ab omni sana Ratione, ut statuatur, illud amplissimum Collegium, si tunc exstiterit, vel ibi adfuisse cum omnibus suis membris; vel tantae temeritatis se alligasse, ut Arcam violarint irreligiosa introspectione. Est illud plebeium plane facinus, a Viris gravibus remotissimum. Non placet interim communior Computatio, quae Copulam ET supplens, statuit LXX Mille et LXX Viros in ista Clade cecidisse. Nimius ille numerus, nimis quoque scrupulose idem subducitur: in talibus enim rotunditas magis placet. Ergo alius esse sensus nequit; quam is, quem Sam. Bochartus cum aliis commendavit, ut dicantur strati fuisse LXX Viri pro L Millibus, vel in medio L Millium, qui tanquam antesignani hujus temeritatis prae reliquis puniri in exemplum meruerant. Aeque frigidum et quaesitum,

G. Quod Rabbini quidam huc detorserint nobile illud Satellitium Davidis, quod vocatur Crethi et Plethi 2 Sam. VIII. 16. XX. 7. Deducunt argutuli illi

Nimis

prius Crethi a radice כרת decidit, posterius Plethi a radice פלא admirabilis fuit: quasi Decisores admirabiles, et Arbitri supremi rerum. Quod Commentum, Rabbinico ingenio dignum, ipsis relictum esto.

H. Summum robur, et praesidium creditur afferre, quod de Iosaphato narratur 2 Chron. XIX. 8. eum instituisse Hierosolymis Tribunal aliquod Supremum, quod Caussas partim Dei; partim Regis cognosceret, et de omnibus decideret: Praeside hujus Collegii Amazia, Sacerdote Primario pro omni Negotio Iehovae, i.e. Ecclesiastico, itemque Praeside Zebadia, pro omni Negotio Regis, i.e. Politico. Si tamen haec Historia rite expendatur, contraria potius omnia pervincet: Etenim

a. Generatim nil hic occurrit de numero, nil etiam de Veteri exemplo, ad quod Rex pius Supremum hocce Concilium renovaverit. Proinde assumitur per Hypothesin ex illo Contextu, quod probari debuisset.

b. Specialius liquidissime apparet, ab ipso Iosaphato hocce Collegium institutum, quod nunquam antea exstitisset, et quidem sub ejus auctoritate et moderatione. Quae omnia quam longissime absunt ab illo Supremo Culmine auctoritatis non solum, sed et Majestatis, supra ipsum Regem eminentis, quem vulgaris Sententia Synedrio M. arrogat, et adjudicat.

I. Huc a quibusdam ponitur Casus Ier. XXVI. 10. annotatus, ubi Sacerdotes et Principes cum Populo agunt, ut Ieremias morte mulctetur. Hos volunt esse Synedritas Patres: iterum ex Hyp. quae semet ita jugulat: quum si tanta fuisset illius Synedrii potentia, utique cum Populo non egissent illi infesti hostes

hostes Jeremiæ, sed decretoria Sententia ipsum neci tradidissent. Tandem attingendum aliquid

X. Ultimo satis iterum speciosum, quod elicitur ex Ezech. VIII. 11. ubi introducuntur LXX. Viri ex Senioribus domus Israëlis, in medio ipsorum adstante Jaazania, qui omnes Idololatriæ Crimine se se commaculaverint. Assumitur; tanquam indubitatum, hos esse Patres Synedrii M. cum suo Præside: atq ita insinuari, tantam esse Idololatriæ libidinem, tamq profligatam apostasiam, ut etiam ipsum M. hocce Concilium, quod eam compescere omnibus poenis debuisset, eandem comprobavit, suoq exemplo sanxerit. Hoc quidem si ita concipiatur, Talmudicos parum juvaret, atq infallibilem auctoritatem illam, quam crepant, funditus everteret. Alios quoq, qui non tantam faciunt hujus Consessus Sanctitatem, neutiquam tamen hic juvabit numerus LXX. Viralis, quasi necessario colligendum foret, eum unice quadrare in Synedrium hocce: nam ne loquutio quidem ipsa hoc permittit; quia non dicitur LXX. Seniores Israëlis; sed LXX. ex Senioribus: qui character cogitationem aliorsum ducit: quemadmodum et Belgæ nostri in Not. ad h. l. propterea submonuerunt, esse quidem nonnullos, qui respici putent ad Synedrium LXX. Virale; sed rectius intelligi alias Personas, dignitate et auctoritate conspicuas. Certe Synedrium M. si tunc extiterit, se totum in Idololatriæ approbationem publicam effudisse neutiquam verisimile est. Quidquid sit: nil satis evidenter ex hocce Contextu concludi potest ad Capitalem

Patres

Quaestionem decidendam: et multo firmioribus fundamentis niti debebit M. hocce Synedrium, si possessionem, in quam plurimorum Calculo immissum est, obtinebit.

ב. Prima Aciei proposita, ut quid firmi, quid infirmi habeat, sentiri queat, exponemus quoq Secundae Aciei robora et firmamenta. Principe loco

aa. Adversus summam illam, et antiquitatem et auctoritatem talis Synedrii, obmovetur, quod et ab Auctore nostro tactum: nullam plane ejusdem mentionem occurrere in Historia Judicum et Regum. Altissimum hocce silentium obtinere non potuisset, si tanto tempore tanta auctoritas penes publicum aliquod Corpus Patrum Conscriptorum resedisset. Quemadmodum scil. in Historia Romana omnem paginam implet Senatus, et Magnum illud Corpus Patrum Conscriptorum: quemadmodum Itano in Graeca Historia ubiq Concilia illa, penes quae vis Regiminis fuit, nominantur; ita quoq legitime concludi videtur ad Historiam Judaicam. Unde quidem aliquid exsculpere conati fuerunt, qui pro Synedrio propugnant; sed tamen nil producere valuerunt, quod rem ullo pacto plausibilem redderet saltem, nedum ad eam pervinceret, aut dubitationis aleae eximeret

bb. Etiam ab Auct. nostro indicatum Argtum. desumitur ex dominante illa Idololatria, quae inde a primordiis obtinuit inter Israëlitas jam in possessionem Terrae S. immissos. Si enim talis supremus Consessus omnibus Poenis adversus Legis Mosaicae Violatores armatus extitisset, atq Religioni, una cum Republ. tuendae invigilasset, neutiquam eousq indomitus ille furor erumpere

potuiss

potuisset. Quod jam verbulo tantum perstrinxisse sufficerit, quum quivis intelligat, quousq vis hujus argti. se se extendat per omnem seculorum seriem. Legimus enimvero bonos aliquando judices, qui quasi Dictatores erant suæ gentis, piosquoq reges, sæpe furorem huncce compescuisse, mox tamen vehementius exortarum; sed nunquam legimus a M. aliquo Synedrio quidquam hac in parte præstitum, quum tamen illud zelo pio maxime flagrare debuisset ad tantum hocce malum radicitus exstirpandum. Unde liquidissime colligitur, nullam tantam auctoritatem atq potentiam in his temporibus obtinuisse. Nimium est

cc. Quod itidem ab Auct. nostro subtextum, penes judices primum, deinde penes reges, resedisse supremam potentiam, et quidem ita, ut nullam in ea partem sibi consilium superius aut par arrogare potuerit. De Samuele speciatim legimus, eum filios suos sub se constituisse judices super populum, aliaq bene multa ab eo gesta, quæ directe pugnent cum opinione vulgari. Quod sentiens Ill. Grotius, eo decurrit, ut existimet, tunc temporis LXX. virale collegium cessasse: quod est imbecillitatem ejusdem opinionis sentiendam præbere.

dd. Speciatim quoq attendi meretur, quod et in §. nostra positum, tantam invasisse dissolutionem aliquando in Israële, ut quivis faceret, quod placitum esset, quia nec Rex, nec Regimen, esset in populo. Hoc quam parum constare queat cum Traditione illa, non est, quod ulterius deducamus: quemadmodum et

ee. Quod in §. nostra prostat ex Jud. XIX. 29. per se satis evidens est, nec illustratione nostra indiget. Addimus ergo

Ff. Non

De Synedrio Magno.

ff. Non posse conciliare Traditionem de tali Synedrio cum institutione et creatione Regis, quemadmodum illa nobis delineatur I Sam. VIII. 8. Omnes Circumstantiae clamant, nullam tunc temporis fuisse Moderatorem Reipubl. quam Samuelem, atq illius spretum fuisse Regimen moderatum, appetitumq ad imitationem Gentium Regium Imperium, a quo ut Populus absterreretur, illud ipsis depingitur suis coloribus grave, et gravem Servitutem tracturum. Quae omnia nil, nisi Verba fuissent, et vana terriculamenta, si fastigium auctoritatis, et supremum moderamen in gremio alicujus superioris Synedrii resedisset, quippe quod facile omnibus illis incommodis occurrere potuisset. Praesertim si verum est, quod Talmudici sanciunt, et ad eorum placita a multis nostrorum recipitur, tantam fuisse eminentiam Patrum supra Reges, ut eos non tantum coërcere, sed et castigare, atq flagris afficere potuerint.

gg. In idem hocce alio adhuc adspectu instare licet. Patet nempe per Universam Historiam Regum, penes illos fuisse jura Belli Pacisq, atq adeo omnia illa, quae ad Reipubl. moderamen aut Salutem pertinerent. Si etiam Statum Reipubl. post Captivitatem Babylonicam adspiciamus, nullum reperimus Synedrium, quod ad Tabernacula sederit: ac propterea ipsi Talmudici coguntur excogitare Synagogam M. quam vocant, quae cum Esra et Nehemia collapsas res erexerit, atq exstinctam reposuerit Religionem. Verum et hoc ipsum, quum extra Scripturae testimonium asseveret, merito suspectum habetur; quin imo penitius examinatum, plane corruere debet: quae enim de hac M. Synagoga, ex CXX. Viris, Divino Spiritu plenis, nobis

narrant

narrant Rabbini, ideo narrant, ut Systema suum Tra-
ditionarium, adversus SScram erectum, isti fundamento su-
perstruant: quae quum sit tanquam Turris Babylonica
adversus Deum et Religionem Caput attollens, imprudem-
tius sane a multis nostrorum admittitur, non satis depre-
hendentibus, quorsum Machinae istae, et molitiones Talmu-
dicae intendantur. Sed ne latius istam in Quaestionem
nunc excurram, filum resumens, hoc tantum subtexam,
nec Synagogam illam M. nec Synedrium, consistere posse
cum dura et gravi Conditione, qua premebantur Redu-
ces Captivi, primum sub jugo Persarum, ac deinde Syro-
Macedonum, quorum Rationes Politicae haud quaquam per-
mittere poterant, ut tam ampli Consessus suprema au-
ctoritate armati Gubernacula capesserent Reipublicae,
quippe qui novas res confestim moliri potuissent, atq jugum
Servitutis a Gente libertatis avidissima depellere conati fuissent.

hh. Synedrii M. novitatem, et recentissimam Originem indicat
ipsum Vocabulum סַנְהֶדְרִים, haud dubie ex Graeca
Stirpe deflexum, quod est ipsum Συνέδριον: Speciatim
autem ex Dialecto Macedonica, quae Senatores Superi-
oris sui Consessus apellabat Συνέδρους sive Assessores.
Insignis est hanc in rem locus Livii Lib. XLV. Cap. 42. ubi
narrat, ultimo Rege Macedonum a Romanis devicto, ad-
vocatum fuisse Concilium, et pronunciatum, quod pertineret
ad Statum Macedoniae, ut eligerentur, quos illi vocabant
Συνέδρους, quorum Consilio Respubl. administraretur. Unde
summo jam jure concludere licet, post Alexandri M. tempora

Demum

demum, ut Macedonicum Vocabulum, sic Consessumquoque ipsum in Judæa introductum. Nam nullo pacto Verisimile, si jam antea, et quidem inde ab institutione Mosaica, M. hocce Corpus Patrum extitisset, et Hebraicam suam denominationem habuisset, inde unquam desciturum fuisset, ut peregrina ejus loco succederet appellatio. Quod enim Talmudici argutantur, illud סַנְהֶדְרִים esse conflatum ex Vocibus Hebraicis, סָן lex, et הֶדְרִים repetentes, q. d. Legis repetitores ac Vindices; ostendit illorum hominum imperitiam, qui nec suæ Linguæ fontes, nec Græcæ quoque intellexerint, atque ab omni Litteratura alienissimi reperiantur.

II. Omnia hæcce claudemus, et adstringemus, pressiore adhuc indagatione illius temporis atque Occasionis, qua Supremum hocce Concilium LXX. Virale introductum fuisse videtur. Non potuit ad Calculum Historiæ rite subductum emersisse ante tempestatem Antiochi Epiphanis, sed post illius immanem illum furorem, quo Rempubl. et Ecclesiam Judaicam pedibus proculcaret, et ad internecionem redigere conatus fuit, ansa data, quin dura necessitas imposita Judæis, grave jugum Syro-Macedonum excutiendi Ducibus Macchabæis, atque Principatum inde sibi ut merentibus, ita occupantibus. Hi Heroici Liberatores ac Vindices suæ Gentis, ut invidiam ex nova potentia, in ipsos facile incubituram, evitarent, excogitarunt, se id commodissime assecuturos, si sibi adgregarent illustrem aliquem Consessum Procerum, in quem eminentissimi quique allegerentur. Hoc certe intendisse Judam Macchabæum diserte legimus in ejus Historia 1 Macc. VIII.

ubi

ubi inter alia complura hoc maxime notari debet, quod dicatur admiratus fuisse Sapientiam Romanorum, qui Rempubl. suam administrarent per Senatum Supremum, sub cujus moderato imperio ad tantam potentiam fuerint provecti. Non potuisset talis admiratio in mentem cecidisse Judae Macchabeo, si idem illud Regimen a Mose institutum per omnia Secula obtinuisset inter Judaeos: ac proinde vel hincquoq Traditioni isti nervus incidetur.

Neque ulla restat dubitatio, quin Judas Macchabeus ad hoc exemplum se se componens, associarit sibi Patres illos Conscriptos ut se minus invidiose Principatum et Pontificatum, quos secundum Legem simul gerere non poterat, Familiae suae vindicaret in perpetuum. Quum autem in primordiis suae Pontif. prostaret illud exemplum alicujus Consessus LXX. Viralis extra ordinem Mosi adjuncti ad onera publica sublevanda, nil propius habere potuit, quod imitaretur, quodq simul majorem ei dignitatem conciliaret. Deinceps idem ille Consessus ad istud exemplum conformatus, quum Pharisaismus invalescere coepit, sibi arrogare coepit infallibilem quandam autoritatem, qualem penes se residere Pharisaei crepabant. Omnia nps. sua Placita, quae per Litteram Legis Mosaicae unquam potuissent stabilire, ex Traditione e Monte Sinai derivantes, ac propterea indequoq supremam suam hancce dignitatem arcessentes, per quam Majestas supra Principes et Reges ipsis competeret, quam nonnisi violentis Factionibus unquam usurpare potuerunt, quemadmodum ex Historia posteriorum temporum abunde constare potest. Conf. ad haec hactenus deducta et discussa, quae Cl. noster Witsius accuratissime disserit de Synedriis Hebr. ubi postquam delineationem a Talmudicis nobis propinatam pertexuisset, Crisin suam subnexuit, atq judicii monuit, nil satis tuti ac firmi talibus Constitt. subesse, quin imo universam illam Traditionem de tali Synedrio merito suspectam haberi.

LIBER III.

CAPUT I.

§. I.

Materiam hujus Cap. ingressuris discutienda se se offert primum gravis & momentosa Quaestio de Origine et Autoritate Sacrificiorum.
1. Crassi et Carnales Judaei, externis Caerimoniis affixi, contendunt, ut perpetuam durationem Legis Caerimonialis constabiliant, ritum sacrificandi ex ipsa Ratione profluxisse: quippe quae doceat, Deum non tantum interno, sed etiam externo Cultu esse honorandum.
2. Pontificiique quoque, ut Sacrificium suum Missaticum utcunque suffulciant, eadem ratiocinatione utuntur. Est autem Paralogismus palpabilis, qui Oculos tantum imperitorum potest perstringere. Non enim in Controversiam vocatur: an Summum Numen etiam externo Cultu & Honore sit afficiendum? Sed cardo Quaestionis in eo versatur: Num Ratio doceat, omnibusque Hominibus inculcet, Deum per Sacrificia posse & velle propitiari: quin imo isto vel munere, vel piaculo intercedente Poenam Peccati remittere vel auferre? Hoc dogma sic propositum tam est absurdum, ut inde Ratio vel maxime resiliat, neque id credere sustineat, nisi Revelatione interveniente, per quam Deus ipse e Coelis declaret, se Sponsorem instituisse pro Peccatis, aeterna Maledictione percussis, ut infinito Piaculo infinita Poena per Mediatorem infinitae Potentiae redimatur, atque expietur. Cujus maximi Piauli quaedam Praeludia instituerit et sanxerit eadem autoritas Revelationis: ut per istas umbras solidum Corpus & infinitum illud Opus Expiationis delinearetur.

3. Ex di-

LIBER II. CAPUT I.

I. Ex diversis principiis diversam viam sequuntur, qui in Castris militant Remonstrantium. Hi nec ex Revelatione repetunt Originem Sacrificiorum, nec ex Ratione eam derivant, sed acriter pugnant, esse Commentum Cerebri Humani: non sane in se valde laudabile aut Deo gratum probatumq; sed quod tamen ob imbecillitatem Humanam approbare non dedignatus sit: ut sic eos, qui externis ritibus & Cerimoniis erant dediti, quodammodo sublevaret, atq ad meliora & altiora manuduceret. Ad hunc fere modum calculos suos ponunt Ill. Grotius, et Sequaces eius, nec non Doct. Spencerus, cujus aciem instructissimam obiter hic lustrabimus.

A. Loco, tanquam invictum argumentum collocatur, Jer. VII.22. nam non loquutus sum cum Patribus vestris, et non injunxi ipsis eo die, quo eduxi eos ex Aegypto, de negotiis Sacrificii & Holocausti: sed hocce est Verbum, quod injunxi ipsis, dicendo: audite Vocem meam, et ite in via, quam vobis praecipiam. Hinc manifesto concludi, et supra omnem dubitationem evehi censent, qui hasce partes sequuntur, Deum non esse auctorem Sacrificiorum, quippe qui expresse neget, se illa instituisse et injunxisse, quippe quae nec dignitati Religionis, nec Majestati Summi Numinis, conveniant, quam unice deceant exigere Veritatem & Virtutem a suis Cultoribus, atq omnis Naturalis Officii observationem.

Respondetur a nostris Theologis & Philologis, istam Conclusionem non tantum esse precariam, sed etiam tam violentam ut rumpatur, atq semet satis refutet. Non enim est Negatio Absoluta, quum utiq Deus cum Populo Israëlis prolixe loquutus sit per Mosem de negotiis Sacrificiorum & Holocaustorum, eorumdemq omnem ritum accuratissime perscripserit & injunxerit. Nihil aliud proinde relinquitur

dno

bono Interpreti ad istum locum, quam ut Negationem istam Comparative accipiat, per quam duo inter se fundamenta & firmamenta Religionis ita vel conferuntur, vel opponuntur, ut unum minus totum deprimatur, & quasi abjiciatur pro altero majore, cujus ponderis & pretium est infinitum: prout aliquis diceret, ratione Corporis & Animæ nostræ Legem non datam esse & latam Corpori, sed Animæ: quæ est loquutio non Absolute, sed Comparate explicanda. Ad eandem rationem quum testatur Deus, se non hoc egisse cum Israëlitis in Deserto, ut per externam pompam Sacrificiorum coleretur, sed per internam eorundem Virtutem cum Fide in Messiam conjuncta, et cum Pietate, Religione, ac Virtutum omnium Studio per istam Fidem animato. Qui posterior aspectus ita sane præponderat, ut prior eo plane obrui videatur et obscurari, quorsum illa Negatio Absoluta dirigitur, ad immensum illud discrimen inculcandum. Eadem Responsio

B. Valet quoq; ad similes Contextus, quos Spenceriani allegare solent ex Esa. I. 12. Psal. LI. 16. et Mich. VI. 6. ubi ita repudiantur Sacrificia externa, ut ad eorundem potentiam Spiritualem Fides attollatur, atq; sic a Corpore ad Animam penetrare jubeamur: quod erat maxime necessarium in crassa illa ac hebeti Judæorum Carnalium affectione, qui Ceremoniis externis unice adhærebant, in earumq; observatione proram & puppim Religionis simul & Salutis suæ collocabant.

C. Paullo aliter refutandi sunt iidem adhuc Adversarii ad illustrem locum Psal. XL. 7. quo magnopere etiam nituntur: Sacrificium et oblationem non voluisti, aures perforasti mihi, Holocaustum et piaculum non petivisti. Tunc dixi: ecce venio: in Volumine Libri scriptum est de me, ad faciendum Beneplacitum tuum. Loquitur ibi D. Messias, atq; declarat, quid Officii, quid muneris, sibi, tanquam Summo Pontifici, a Deo fuerit injunctum: non ut secundum Ordinem Aaronis Sacerdos

offerret ac immolaret, Sanguinem pecudum fundendo ac spargendo; sed ut tanquam æternus ille Sacerdos secundum Ordinem Melchisedeci suo ipsius Sanguine Sacrarium Coelyse recluderet, atq viam semper recentem aperiret ad Thronum Gratiæ. Fit ergo oppositio inter Umbras Ceremoniales, a Deo ad tempus institutas, ut iis præluderetur ad verum illud et æternum Opus per Messiam consummandum. Unde jam clarissime elucet, Textum huncce adeo non favere Systemati Spenceriano, ut illud plane subruat, quandoquidem hic per ipsum Dominum insinuatur, Omnia Sacrificia Mosaica in se, tanquam in genuinum suum Scopum & centrum unicum collineasse, ac propterea se nunc tandem in Orbe comparere, ut id, quod per Oeconomiam Veterem erat figuratum atq præpictum, in Spiritu & Veritate per novam Oeconomiam compleretur. Idem

D. Gt adspectus, idemquoq Sensus interior, Hos. VI. 6. quoniam pietatem volo, & non Sacrificium. D. Jesus hocce Oraculum allegat, Pharisæorum Cavillationes retundens, iisdemq insinuans, Religionem Mosaicam non consistere in externo Cultu, sed in Spiritu ejusdem interno per Fidem in Messiam animato: qui Spiritus quoq ita tandem prævaleret, ut omnes Cerimonias aboleret. Hoc quum pro Carnali et crasso suo genio ignorarent Pharisæi, jubet D. eos discere ex Hosea, quid sit, quid valeat illud nobile dictum: Pietatem volo et non Sacrificium, sc. externum illud, in quo Plebs Judaica acquiescebat. Eo magis autem hæc explicatio quadrare reperitur, quod secundum Ordinem Prophetiæ hocce Cap. VI. Hos. nobis aperiat Ortum Solis Justitiæ, et initium melioris Oeconomiæ, quæ omnes Cerimonias Umbratiles abol.

E. Ad eundem Scopum collineat totus Psal. L. ubi Sacrificia Mosaica contemnuntur, atq adeo deluduntur, tanquam Summo Numine

mine plane indigna, ejusq Majestatem lædentia. nis. postquam melior Œconomia alluxisset, atq unicum illud Sacrificium Messiæ jam esset oblatum, atq consecratum; Sacrilegium erat, et abnegatio unius illius Piaculi, adhærescere Umbris et evanidis illis Sacrificationibus, quæ jam per Messiam erant impletæ. Et scil. et hic Psalm. Evangelicus illuc directus, ut adventus Messiæ describeretur cum abolitione Veteris Œconomiæ, quando hoc usu veniret, quod Esa. in simili argumento pronunciavit, Cap. LXVI. 3. eum, qui bovem immolat, habendum esse pro eo, qui hominem trucidat, etc. i.e. adeo abominandum esse Deo Sacrificium ad ritum Veteris Legis immolatum post Messiæ adventum, uti ipsum homicidium. Nec mirum sane: quum Fœdus Gratiæ eo ipso violetur, et abnegetur per unicum Sacrificium Messiæ pro omnibus Seculis consecratum et Confirmatum. Tandem nimis violenta est

F. Detorsio, qua Spenceriani vexant Amos. V.25, 26. an mihi Sacrificia obtulistis in deserto, ô Domus Israël! imo vero portastis Tabernaculum Molochi Vestri, etc. ubi hunc nobis sensum obtrudunt: Vos Israëlitæ existimatis, præclarum quid a Vobis præstari, quod Altaria mea Victimis cumuletis: non enim in deserto a Patribus Vestris fuit Sacrificatum, sed Molochi Tabernaculum circumgestatum. Ne itaq ritibus Gentium dediti in idololatriam ruerent, jussi, ut potius mihi Sacra offerrent, et Tabernaculum struerent, accommodans me ad eorum minus Sanas de Religione Opiniones: ut eos hoc pacto Sanarem, atq a morbo idololatriæ, quem in Aegypto contraxerant, repurgarem. Hoc est perpetuum illud Πρῶτον ψεῦδος Spenceri, quo supponitur, Cultum Mosaicum ex imitatione Gentilium, et præcipuè superstitione Aegyptiaca Originem traxisse. Scopus autem, quem

sibi præfixit, est Cultui Mosaico detrahere Cœlestem Sapientiam et potentiam, quam nos sub ea, tanquam sub umbris et involucris conclusam fuisse tenemus. Unde jam de toto Statu hujus Controversiæ distinctius judicium ferri poterit. Adversariis enim nostris hac in parte Cærimoniæ sunt Corpus mortuum, quæ nihil Spirituale figurarunt, nihil sublimius sapuerunt, nihil Evangelicum in sinu suo concluserunt: quum nos pugnemus, eas in Messiam, tanquam in meditullium suum collineasse, atque spirituali ista luce et gratia animatas fuisse, usque quo per Messiam abolerentur. Hincque quoque distinctius jam perlucet, cur ab adversariis negetur Sacrificiorum institutio Divina, et cur a nostra parte pro ea stetur, atque pugnetur. Si enim fuerint picturæ melioris illius Sacrificii, quod per Messiam consummaretur, jam auctoritas Divina intervenerit, atque nexum huncce sanxerit, necesse est. Hoc autem jam porro argumentis confirmatum, et dubitationi omni exemtam, dabimus duplici filo & Ordine, αα. iis, quæ clara & aperta, ββ. iis, quæ paullo obstrusiora, et non cuivis æque obvia, sunt. In

αα. Posse offert se statim

aa. Dictamen Sanæ Rationis, quod cuivis ultro suggerit: quum ipsa Crimina elui et expiari non posse per animalis innocui immolationem, aliamve oblationem rei vilis Summo Numini factam. Hoc longius deducere et demonstrare non necesse est. Nisi itaque velimus Veterem Religionem omni fundamento privare, omnino statuendum erit, ipsum Deum instituisse ritum sacrificandi, atque sancivisse per

Sacrificationem Oraculum illud Paradisiacum, quod promiserat potentissimum illum Victorem Diaboli et Mortis per suam ipsius mortem.

bb. Grave argumentum subministrat Sacrificium Abelis, de quo Aplus. Hebr. XI. 4. testatur, illud per Fidem fuisse oblatum. Jam vero nulla Fides sine auctoritate et revelatione Divina. Huic annexum est

cc. Omnem ἐθελοθρησκείαν Deo displicere. Ridetur quidem hoc, ut lebes, ab Adversariis, ratiocinantibus, multa in Cultu Divino arbitraria permitti, atque a Deo approbari. Sed nos vicissim ridere possumus illam Cavillationem, quum arbitraria illa, quae permittuntur, utique talia esse nequeunt, quae fundamentum constituunt Religionis, ejusdemque simul firmamentum, qualis erat Veterum Sacrificatio.

dd. Hinc tandem subsumimus, nisi institutio Divina hac in parte steterit, omnem Sacrificandi Virtutem ac dignitatem collabascere, neque verum esse, quod passim SS. inculcatur, Veteres Caerimonias in Messiam, tanquam in Centrum suum collineasse, atque per eum implementum suum reperisse. Hoc unicum est, quod universam hancce Controversiam constituit. Eo evicto, quod ad I. Libr. a nobis factum est, Caussaque hacce perviceta censeri debet, atque supra omnem Dubitationis aleam evecta. Sic breviter lustrata AA. acie, progredimur ad

BB. Documentis paullo abstrusioribus instruendam. Ubi

1. Locum tribuimus Sanctioni Gen. IX. 4. Carnem in anima sua, i.e. Sanguine suo, non comedetis. Existimatur a pluribus, Sanguinem interdictum fuisse ad incuti-

endos

incutiendum quemdam horrorem, ne facile ad Caedes rueretur. Disputant propterea, per esum Sanguinis hominem reddi inhumanum, crudelem, efferatum, Caedibus promtum. Sic quidem Sanciebat Philosophia Pythagorica. Sed ea ipsa in nostro Contextu jugulatur per esum Carnium permissum. Ergo illa explicatio hujus loci omni Specie destituta: quum usus Sanguinis in Cibis nihil habeat, quod efferare posset, si moderatio adhibeatur: immoderatio enim & intemperantia per omnes Cibos aliquem efferare potest. Alienior adhuc est aliorum interpretatio, qui volunt interdici esum Carnis crudae, quasi Caro in Sanguine suo esset in Cruditate sua incocta. Vera et unica ratio istius Legis fundata est in ritu Sacrificandi, cum quo institutum erat, ut omnis Sanguis Deo foret consecratus. Patet id ex Deut. XII. 24. notabili admodum Constitutione: Cave diligenter, ne comedas Sanguinem, nam Sanguis est anima: ne ergo comeditor anima cum Carne: non comedes illum Sanguinem: Super terram effundes eum, sicut aquas: non comedes, inquam, eum, ut bene tibi sit. Apparet aliquid Religiosum et Sacro-Sanctum concipi in Sanguine, atque Deum sibi soli eumdem vindicare. Unde ultro consequitur, eidem vim quamdam ac virtutem Expiatoriam esse subjunctam: non utique per se et sua Natura, sed ex institutione Divina, qui hoc ipsum in primordiis Mundi inculcaverit. Idem clarissime elucet ex Lev. XVII. 10–12. ubi eadem materia, eadem Sanctio Re-

ligio-

Religiosissima cum insinuatione etiam expressa, omnem Sanguinem Deo esse consecratum ad expiationem per eum procurandam.

II. In hac Classe producimus Gen. III. 21. ubi Deus dicitur primis Parentibus parasse Tunicas pelliceas. Est Contextus abruptus & intricatior, ad quem multa hallucinatio Veterum ac Recent.

α. Sunt, qui allegorice כתנות עור tunicas Cutis explicuerint per Corpus mortale, quasi diceremus exuvias pelliceas in pellicula mortali circumferendas ab homine jam delapso a primeva sua immortalitate. Ita Origenes, aliiq luserunt. Alii Veterum

β. Sibi imaginati fuerunt hanc nostram Cutim crassiorem antea non extitisse, sed eam tum demum superinductam ad frigora & alia incommoda arcenda.

γ. Secundum alios reddendum potius; et paravit illis Dominus tunicas pro Cute, nempe nuda illa: qui sensus eodem ferme rediret, ut nempe incommoda aëris a nuda Cute depellerentur. Cogitatum ab aliis

δ. Sub Vocula עור de Tentoriis, quæ et nomine pellium insigniebantur, quod inde conficerentur. Sed hoc parum respondet filo Orationis, quod opponit hasce Tunicas foliis ficulneis, unde Protoplasti sibi aliquid Velamenti consuerant.

Quapropter nil aliud in hac Serie admitti posse videtur, quam quod receptissima Vertendi ratio tenet, ut intelligantur Tunicæ e pellibus animalium confectæ, quæ animalia tunc considerari debeant tanquam Sacrificia, quæ Deus ipse jusserit sibi immolari adjecta simul eorundem Spirituali significatione & potentia, in maximum illud Sacrificium per Messiam collimeante. Quod jam quamvis in Textu ipso non inveniatur, tamen legitima Consequentia

inde

inde derivatur, quum tunc tempestatis necdum permissus esset esus Carnium, nec animalium jugulatio: ac proinde totum hocce negotium, tanquam extraordinarium, et Divina auctoritate sancitum, debet considerari.

III. In hac Classe argumentum satis vicinum subministrat Gen. IV. 4, 5. ubi Cain & Abel dicuntur Oblationes suas Deo tulisse, atque alterius fuisse repudiatam, alterius receptam. Hoc commodius explicari nequit, quam per signum Divinitus datum, igne scil. de Coelo delapso, & Abelis sacrificium consumente: quale quid & in prima illa sacrificatione, de qua modo egimus, usu venisse debuit. Hoc est illud testimonium, de quo legimus Hebr. XI. 4: per quod Deus significasse dicitur, gratam fuisse Abelis Oblationem in Fide factam. Illa solennior testificatio per ignem e Coelo demissum crebro recurrit in S. Historia: adeoque satis solidum habet fundamentum et firmamentum ad hujus Veritatis demonstrationem sustinendam. Finem facimus

IV. In discrimine puri & impuri jam inde a Mundi primordiis. Hoc unice fundatum est in ritu sacrificandi atque in institutione illa Divina, qua aliud animal admissum ad altare tanquam purum, aliud tanquam impurum inde repulsum fuit. Natura utique hoc discriminis suggerere non potuit. Quinimo per Naturam, si rem rite putemus, nulla est distinctio puritatis aut impuritatis, quandoquidem quidquid Deus creavit, in se nil habet impuri apud Deum. Ergo totum hocce Ceremoniale & umbratile, quod ad tempus tantum duraret, atque obtineret: illo tandem discrimine per N. Testam. penitus auferendo. Doctrinam hancce adversus Flavis ani plus semel indicavit, et in clara luce collocavit ipse Dominus.

§. XIII.

De Esu Carnium ante Diluvium.

Cum Materia modo discussa magnam habet Cognationem & connexionem Quaestio nobilis, et dignissima, quae penitius excutiatur, de Esu Carnium ante Diluvium, licitusne fuerit, an illicitus? Vel clarius adhuc: an Carnium esus jam in Paradiso, & Statu innocentiae fuerit concessus primis Parentibus, an post Diluvium demum Noacho, et ejus Posteris, permissus? Statu Controversiae sic accuratius constituto, statim apparebit, plerosque argumentationes, quibus Cl. noster Auctor. usus est in §. nostra non magnopere stringere. Sed ut ordine procedamus, oculis subjiciendus est Contextus Gen. I. 29. in quo Cardo Quaestionis versatur. Verba sic se habent: Dixitque Deus: ecce dedi Vobis omnem herbam seminantem semen, quae super faciem totius terrae, et omnem arborem, in qua fructus arboreus, dedi vobis in Cibum. Est Sanctio Paradisiaca Homini adhuc integro praescripta, et Naturae eius perfectiori convenientissima, quippe quae nullo Vitio contacta, nullis principiis imbuta, Corpus habebat temperatissimum, et temperantissimum, cuius necessit Necessitatibus illa Copia fructuum e sinu divite Terrae ipsi abundantissime affluentium haud dubie sufficiebat: praesertim si attendamus ad vigorem illum Vitae immortalis, quo hactenus primi Parentes gaudebant, necdum sub mortalitatis Conditionem delapsi. Nihil interim adhuc praejudicamus, usque dum pateat, quomodo v. 30. cohaereat. Subnectitur enim mox: Et omni animanti Terrae, et omni Volucri Coelorum, et omni reptili reptanti super terram, in quo anima viva: omnem Virorem herbae in Cibum. Ubi ratio Syntaxeos docet, repetendum esse Verbum Dei ex superiore v. Est iterum notabilis admodum Character Naturae hactenus integrae, et a peccato inviolatae: quando nulla adhuc feritas, nulla Sanguinis sitis, nulla proinde lanienа animalium se

mutuo

Se mutuo Laniantium obtinebat: hoc enim cum peccato demum intra-
runt in mundum, per quod universa Creatura Vanitati, quin
maledictioni fuit subjecta, antequam gravem & tristem revo-
lutionem omnium rerum Ratio & Revelatio simul credere ju-
bent, omnia profunda pace in Terris fuisse gavisura sine no-
xiis illis Sequelis, quæ per Dominationem mortis demum in the-
atrum Orbis irruperunt. Hunc lætiorem adspectum Sancit &
obsignat formula Solennis, qua hacce Periodus clauditur:
וַיְהִי כֵן atque ita fuit, i.e. ita Divinitus constitututum fuit
ut ad eius præscriptum homines & animalia suum sibi Victum
compararent, i.e. ut homo, tanquam animalium Dominus
videret præter reliquam abundantiam Paradisi greges ani-
malium Sibi circumfusos, summaq pace inter se devin-
ctos, et nil appetentes pro Cibo, nisi Solum Virorum Terra
largiter Desideriis et necessitatibus omnia sufficientem. Et hæc
primæva rerum facies tam Naturalis, tam jucunda, tamq con-
gruens, ut eam ex oculis dimittere non liceat: quippe sine
qua Status integritatis et innocentiæ vix ac ne vix quidem
concipi queat. Nec dubitari potest, quin hinc dimanaverit
illa celebratissima Veterum Traditio de AUREO SECULO;
ubi omnia ridebant, unde omnis Vis, Violentia, et Sanguinis
effusio, exsulabat, atq in quo homines et animalia arctis-
simam inter se Societatem & Pacem colebant. Ex quibus ita de-
ductis et declaratis secundum suam Seriem et Nexum, jam
satis magna cum fiducia colligimus, esum Carnium ne ipsis
quidem animalibus fuisse permissum, secundum primigeniæ Na-
turæ institutionem & Conditionem.
Placuit tamen plerisq Interpretibus hunc pulcerrimum Naturæ primæ-
væ Conspectum Deserere, & deformare, ex hoc ipso Contextu exscul-
pentes permissionem Carnium edendarum. tam coacte sane, &
contorte; ut appareat, non quæsitam Veritatem, sed Hypotheses

aucta

antea jacta quamdam Defensionis Speciem, quae hic Oculos per-
stringere posset. Sic enim V. 30. continuant, et convertunt:
Eoque simul cum omni animali terrae, et cum omni volucri
Coelorum, et cum omni reptili super terra, in quo anima viva,
cum omni virore herbae in Cibum: quasi omnia uno filo &
tenore pertinerent ad Cibum hominibus praescriptum, atque
de Cibo animalium nihil omnino praescriberetur.
Clar. Heideggerus in Hist. Patr. Diss. XIV. quae inscribitur: de
Cibo Antediluv. hanc interpretationem pervincendam suscepit,
omnemq Eruditionis suae Copiam isti Sententiae stabiliendae admo-
vit. Sed profecto infelicem suscepit et conjunxit operam: nam
quod maximum ei argumentum probet, Praepositio ל in Phrasi
וּלְכָל non potest converti per una cum, sed si redundaret; quem-
admodum alibi saepe redundat, converti debebit per sane,
profecto: esset enim tunc ל illud Pleonasticum, quod simul
Emphaticum, omni Casui aptum, ad gravissimam Demonstra-
tionem. Exemplo eodem illo res clarior fiet ex Jer. XIX. 13.
et erunt domus Hierosolymorum, et domus Regum Judae, in lo-
cum הַתֹּפֶת omni horrore & impuritate plenum, לְכֹל profecto
Universitas domuum, super quarum tecta adoleverunt exercitui
Coelorum. Vertitur quidem ibi, una cum universitate domuum,
sed languet hoc, nec respondet genio & stylo Linguae, quae
exigit illam asseverationem fortissimam. Aliud specimen insigne est
2 Sam. XVII. 16. et nunc mittite quam celerrime, et nunciate Da-
vidi dicendo: ne pernoctes in aditu deserti, quin imo pertrans-
eas, ne absorbeatur לַמֶּלֶךְ, additur, וּלְכָל הָעָם qui est cum
ipso. Apparet primo ictu Oculi, duo esse membra, quae aliter
reddi nequeant, quam per sane Rex, & sane Universitas Populi.
Ubi si aliquis jam una cum vellet applicare, planam seriem
implicaret. Tertium esto non minus illustre, quo utitur Clar.
Heideggerus pro sua Caussa, Esa. XXXII. 1. ecce ad rigorem reg-
nabit Rex, וּלְשָׂרִים ad aequitatem juris, etc. Itenim vis
Orationis postulat ibi nostram Emphasin, et sane Principes.

Ubi

Ubi si aliquis una cum obtrudat, nervum incidet.
His jam praestructis, videamus, an illa Emphasis Contextui Mosaico ulla ratione possit accommodari. Ubi iterum prima quemque inspectio docebit, illud Sane longe foret alienissimum, si ita continuemus: et Sane omnem animantem terrae, et Sane omnem Volucrem Coelorum, et Sane omne reptile terrae: quia tunc id, quod praecipuum, principe loco fuisset collocandum, postea demum veniret: et quia tunc quoque illud Sane sub universitate illa sua homini necessitatem imposuisset, omnia in universum animalia sine ulla exceptione sibi in Cibum comparandi & convertendi: a quo jam omnis Ratio resilit, et abhorret.

§. Tertio non patitur hanc Vertendi rationem nexus nostrae Particulae ל cum praecedenti V. ubi dictum erat cum eadem Particula לָכֶם vobis, nps. in Cibum erit omnis fructus arboreus. Quum ergo subsumitur וּלְכָל non aliter verti potest, quam per eandem vim Dativum.

§. Quarto idem hocce evincitur ex Particula אֶת in V. 30. quae si reddatur per cum, totam seriem conturbabit, et onerabit supervacua accessione: quum ista repetitio, cum omni Virore graminis in Cibum, nihil habeat, quod ullam adferat emphasin, sed contra nervum V. praecedentis potius debilitaret.

§. Quinto denique illa Clausula, atque ita factum est, longe alium postulat sensum, quippe quae insinuet vim, indolem & sensum interiorem, a Creatore & hominibus & animalibus omnibus insinuatam, ad cujus normam se Naturali motu & affectu direxerint & determinaverint. Quod jam unice quadrat in hypothesin, quam defendendam suscepimus.

§. Ad eam autem ulterius adstruendam alterum Subnectemus argumentum, item a laetiore Statu Innocentiae primigeniae desumtum, Esa. XI. 6. sqq. ubi aperitur renovatus Paradisi prospectus super Orbe terrarum hisce Coloribus: et commorabitur Lupus cum Agno, et Pardus cum Hoedulo cubabunt, etc. Haec quidem Emblematica sunt, & sublimiorem in sinu continent

potestatem, per quam Lupi & Pardi, & reliquæ feræ noxiæ designent homines feroces, violentos, innocentium oppressores: quemadmodum Agni & Hæduli repræsentant mites & humiles: neutiquam interim Littera deserenda, super qua sublimior illa interpretatio nititur. Inculcatur enim, Maledictionem, quæ per peccatum incubuerat terris, fore delendam, & per adventum Xti. eatenus faciem omnium rerum renovandam, ut dici posset, Paradisi Conditionem lætissimam humano generi redditam, & quidem multo luculentius & cumulatius, ita, ut quidquid ferum esset & noxium, ad mansuetudinem & bonitatem Naturalem rediisset. Ulterius istam litteralem vim extendere non debemus, quia præsens saltem Oeconomia, cum peccato commixta, intra hosce terminos consistit. Sufficit autem haecce amplitudo nostro Scopo, qui erat demonstrare, mortem, & mortis feritatem, atque Sævitiam ministram, nonnisi per peccatum in mundum introivisse.

§. Firmamentum, & Cumulum ultimum huic discussioni imponet Gen. IX. 4. ubi post Diluvium Noacho & posteris eius permittitur demum usus & esus Carnium cum manifesta amplificatione Sanctionis primævæ, et allusione ad eandem. usq. Quum iam per tot Secula ante Diluvium, corruptio terris incubuisset, atque haud dubie Antediluviani illi, omnibus libidinibus immersi, a Carne neutiquam abstinuissent, Natura amplius intra primævos fines contineri & constringi non poterat. Ne itaque reatus ille, quem Antediluvianus mundus contraxerat, etiam hac in parte Sanctionem Numinis violando, renisit Deus ipse & severiorem hancce Sanctionem mitigavit, ne & alter Orbis hac in parte Crimina Criminibus cumularet. Hoc ex tota serie istius Contextus tam manifestum, ut qui inde recedant, non habeant, quod cum aliqua specie prætexere possint. Accedit ibidem religiosa illa intimatio abstinendi tamen a Sanguine, quam supra illustravimus, & in qua nunc Quæstionem hancce finiemus.

§. XIV. & XV.

Dignissimi sunt solennes illi Ritus, quibus Sacrificatio peragebatur, qui in clariore luce collocentur: quod in omnibus illis multa Religio, et Spiritualis quoque dignitas ac Sapientia resideant. Ubi jam

N. Se offert deductio & constitutio Victimae ad Altare, ad quam respexit Apls. Rom. XII. 1. hortor vos Fratres, ut sistatis Corpora vestra in Sacrificium vivum, Sanctum, & acceptabile, qui est rationalis vester Cultus. Fit oppositio inter Cultum Veteris & Novi Testamenti. Veteris Oeconomiae Sacrificia non poterant dici viva, nam per mortem consumebantur: non poterant dici etiam Sancta, nisi Typice & Umbratice, nulla enim vera Sanctitas in bestiis: Denique non poterant appellari Deo grata & accepta, nisi propter eandem rationem Typicam, qua dempta, abominatio potius fuissent Deo, & aliquid a Majestate, omnibusque Virtutibus ejus abhorrens. Contraria omnia obtinent sub meliore Oeconomia, ubi jam per Sponsorem solida & aeterna Expiatione procurata, ut ipse est, & manet Sacrificium vivum, Sanctum & acceptabile; sic etiam omnes Fideles suo Spiritu imbutos eadem auget dignitate, ut se a Deo sistere possint in hostias vivas, Sanctas & acceptabiles. Spectatur in hac Phrasi, Semet sistere, motus ille Voluntarius, liber & liberalis, quo ad Altare Dei pergendum: qui quum a bestia irrationali non potuerit praestari, diligenter tamen a Sacrificantibus fuit observatum, ut Species saltem liberalis illius Voluntatis adesset, et hostia non traheretur reluctans, sed duceretur lenius, atque ita ultro appropinquare videretur.

Etiam Gentiles hoc ad Superstitionem usque observarunt, quam in rem notabilis est locus Plinii Hist. Nat. Lib. XLV. „Notatum est, Vitulos ad Aram humeris hominum allatos, non

" litare: sicut nec claudicante hostia Deos placari, nec ab
" Aris se se retrahente. In eundem Scopum tendit Macrobius
" Saturnal. Lib. III. Cap. 10. Observatum est a Sacrificantibus,
" ut si hostia, quæ ad Aram duceretur, vehementius reluctata
" ostenderet, invitam se Altaribus admoveri, amoveretur, quia
" invito Numini eam offerri putabant: quæ autem stetisset
" adducta, hanc Volentem Volenti Deo offerri æstimabant.
Plura talia passim a V.D. congesta. Remittimus, quia hæc sufficiunt ad rem declarandam, ad illos fontes, ac præsertim Observat. Lipsii in Taciti Hist. Lib. III. Cap. 56. Quibus addi possunt, quæ C. Brunchus. ad Tibul. p. 210. in medium contulit, formula solenni ibidem illustrata.
Non est credibile, tantam hac in parte superstitionem insedisse Judæis: saltem nihil apud Mosen extat, quod eousque se extendat. Verba tamen, quibus Legislator utitur, quum agitur de Victima ad Altare sistenda, talia sunt, quæ non admittant deportationem, sed inferant commodam ac lenem deductionem: quod pro præsenti Materia nunc insinuasse satis fuerit. Quid autem Sublimius fuerit intentum jam anticipavimus.

§. XVI.

ב. Alter Ritus multo religiosior, et absolutæ necessitatis erat impositio manuum super Caput Victimæ cum Confessione Criminum. Disquiritur a Philologis, num una, an potius ambæ manus fuerint adhibendæ? Paraphrasis Chaldaica Jonathanis insinuat, dextram tantummodo fuisse impositam. Sed Maimonides cum plerisq. Magistris statuit, ambas fuisse imprimendas majore quodam nisu. Ista Sententia fundata est in diserta Sanctione Lev. XIII. 21. ubi verbum סמך niti vel potius fulcire ambas manus super Capite istam Cærimoniam satis inculcat: exprimit enim illud Verbum graviorem illum Conatum, quemadmodum & apud Græcos,

Ἐρείδειν *fulcire*, ad nisum vehementiorem applicatum innitantibus usum eundem Latinis, apud quos *fulcire pedes* est vehementius premere. Confer præterea Lev. IV. 15. & XXIV. 14. Num: VIII. 12. & XXVIII. 13. 23.

I. Tanta erat hujus Cærimoniæ religio, ut propterea omnes Israëlitæ in Atrium Sacerdotale admitterentur, unde alias erant exclusi. Debebat enim solennitas hæc peragi Victima jam ad altare adducta, edita simul Peccatorum confessione in hanc formulam: *Peccavi domine, perverse egi, rebellis fui, hoc & hoc patravi: sed pœnitet me, atq hæc sit mea Expiatio*. Verba ista desumta sunt ex Dan. IX. 5. unde colligunt Doctores Talmudici, formulam hanc inde ab initio, & antiquissimis temporibus fuisse adhibitam in hoc ritu. In qua Collectione plus assumitur, quam probatur, quamvis de cætero nil absoni in ea contineatur.

II. In Cærimonia autem tam religiosa haud dubie residebat Spiritualis Sapientia, quam plane ex oculis amisit *Philo Judæus*, una cum reliquis Tribulibus, quum hinc exsculpunt Contestationem Innocentiæ, ea ansa arrepta, quod qui ita manus imprimerent Capiti suæ Victimæ, ante manus suas lavarent. Nec enim innocens haberi potest, qui Crimina sua expiatum venit, sed contra nocentissimus, & eandem mortem promeritus, quam Victima debebat subire. Videntur confudisse, quæ rite distincta lucem hic jucundam afferunt Veritati Evangelicæ. nempe. Qui Piaculum sistebat ad altare, dum se morte dignum profitebatur, atq Crimina sua devolvebat in Caput suæ Victimæ per manuum impositionem, eo ipso Criminibus suis exsolvebatur quasi, atq post Cærimoniam hanc innocens habebatur.

III.

III. Sic apparet, non esse Contestationem Innocentiae, sed ejusdem gratuitam impetrationem interveniente Piaculo per huncce ritum praefigurari. Occasionem ei praebuisse videtur, quod ad mortem damnatis manus solerent in Capita imponi: unde nata formula Latinis, Graecis, Hebraeis, omnibus Gentibus protrita: Capiti Tuo hoc esto, vel in Tuum Caput revolvatur, pro Poenas Tu promeritas persentiscas.

IV. Sunt ex Philologis nostris, qui solennem hanc Manuum impositionem factam supponant in formam Crucis, ut inde exsculpant Mysterium nostrae Crucis, atque simul Judaeis ejusdem reverentiam inculcent. Et genus hocce argumentationis haud sane solidum: nequetalibus fulcris Crux Christiana constabilitur, quum nullum hujus rei Vestigium in Lege Mosaica compareat.

§. XVII.

I. Magnaquoque & religiosissima erat Caerimonia Agitationis, quam Auctor noster diligentissime exsequutus est in §. nostra. Unum tantum paulo accuratius enucleandum. Disputatur enim, an agitatio hocce facta fuerit quatuor motibus diversis, an potius sex? Har. Reland. eorum sequitur opinionem, qui quatuor tantam adhibitos statuunt. Id colligit ex Phras. Talmudica, qua agitatio describitur Verbis in media §. adductis: ire fecit, & venire sacerdos, ascendere fecit & descendere. Ubi sane prima fronte sub quatuor illis Verbis quatuor tantum motus ingerit. Sed sciendum, duo priora, מוליך ומביא ire faciens & redire, duobus Vocabulis exprimere quatuor

motus

motus, dextrorsum & Sinistrorsum non solum, verum & iam antrorsum & retrorsum factos. Hinc nil aliud relinquitur, quam ut duo posteriora vocabula מעלה ומוריד ascendere facieus & descendere, senarium compleant numerum cum elevatione & demissione sub iis comprehensa. Ad hunc etiam modum rem concepit & declaravit R. Bechai: Ire & venire facit Sacerdos Victimam ei, cui competunt quatuor Venti Coelorum, ascendere item facit & descendere eamdem illi cujus est Coelum & Terra. Ex hac digestione Rabbini illius manifesto elucent sex motus in omnem partem Coeli & Terrae conversi. Est hoc explicatio sic satis justa, si non constringatur intra angustos terminos, quos sibi hic figunt & fingunt Judaei, respicientes tantum Communem Dei Bonitatem & Gratiam, quum oculos & mentem attollere debuisset ad Gratiam Evangelicam in Messia cum plenitudine Redemtionis, ex eo tanquam unica nostra Victima Piaculari redundatura in universum Orbem Coelumque & Terram firma pace conjunctura. Plura addere supervacuum foret, quum hinc amplitudo Mysticae potentiae hujus Agitationis cuique ultro clamet ingerat, & copiosissimam Materiam meditationis suggerat. In quam tamen admisceri nolim, quod & hinc iterum nonnulli argutiores, quam par est, exsculpant Mysterium Crucis nostrae secundum hypothesin, quae quatuor tantum motus factos fuisse supponunt. Ea, ut vidimus precaria est & infirma. Sed si vel ea valeret, ne sic quidem

gravissimam religionem Crucis nostræ condigne susti-
neret & suffulciret, essetq; hujus magis ingenii & ima-
ginationis, quam solida Veritas, quum nil ea de
re in Sanctionibus Mosis præscribatur.
Est aliud potius, quod superioribus lineolis attexen-
dum, ut ita Mystica Contemplatio hujus ritus complea-
tur. nq. agitatum fuit & vivum animal, & mem-
bra ejusdem mactati. Sic commodissime repræsen-
tari potuit tum liberalissima promptitudo Domini
nostri semet ultro offerentis in Victimam, quum ad-
huc viveret, itemq; quum jam in mortem semet tra-
didisset ad expiationem nostram impetrandam, simul
& applicandam, atq; ita Cœlum Terræ & Terram Cœlo conjungendo.

§. XVIII.

Circa Mactationem Victimæ probe observandum est, non
fuisse actum Sacerdotalem, nec habuisse dignitatem re-
ligiosam. Hanc ob Caussam nihil de Persona, quæ
jugulationem peragere debebat, constitutum in Lege,
sed functio ista quasi in medio relicta, & libera facta
cuivis, ut patere potest ex Lev. I. 5. III. 2. IV. 24, 25.
Sunt tamen Philologi, qui contendant, jugulationem
nemini permissam fuisse, nisi Levitæ, inter quos etiam
Clar. Ainsworthus. ad hæc loca argumentantur ex 2 Chron.
XXIX. 34. XXX. 16, 17. ubi Levitas hoc officio functos le-
gimus. Inde tamen nil aliud concludi potest, quam eos
qui tanquam Ministri Sacerdotum frequentes aderant
in Atrio, atq; jure Natalium in illud admitterentur, huic

officii

Officio persæpe vacasse. Nostra autem Quæstio non agit de Facto, sed de Jure, unde ut Levitas ita nec reliquos Israëlitas neutiquam excludendos censemus, nihil hac in parte sanciente Lege Mosaica & Traditione Talmudica liberam cuiq concedente hanc functionem, & quidem eousque, ut secundum eorum Placita vel Gentilis hoc mactationis istam peragere potuisset, si forte nemo alius ad manum fuisset. Hoc eum in finem annotamus, ut appareat, errare eos, qui post Philonem Judæum existimant, aliquid Sacerdotale in hoc actu resedisse, atq totum Israëlem in Festo Paschali, quum quisq jugularet suum Agnum Paschalem, cohortis, quum quisq jugularet suum Agnum Paschalem, cohonestatum fuisse dignitate Sacerdotali semel quotannis. Triplex est error: nam 1. non fuit actus Sacerdotalis. 2. non unius tantum dies fuit, quo id permissum Israëlitis. & 3. vel Gentilis eundem potuisset administrare, quem tamen inde nemo dignitate Sacerdotali auctum concluserit.

§. XXI.

Diversa plane res & ratio in Sanguine jugulati animalis excipiendo: illa enim actio vel maxime religiosa & Sacerdotalis una cum Sparsione ejusdem Liquoris quæ erat omnium rituum Sacrificalium dignissima. De hac itaq paulo pressius & profundius nobis agendum, et interior ejus nucleus præsertim eruendus, quæ enim ad Corticem externum pertinent, ab auctore nostro accuratissime sunt exposita.

Fundamentum jacimus in Sanctione Lev. XVII. 11. Anima Carnis in Sanguine ejus est: ideo dedi vobis Sanguinem illum ad Altare, ut sit expiatio pro animabus vestris. Addatur v. 14. ubi idem Sancitur, atque ita insinuatur, maximam potentiam expiationis residere in anima, ejusdemque effusionem in mortuam is, qui omnium Victimarum foret Complementum, exacte

DE SPARSIONE SANGUINIS.

expiaretur. Hoc mysterium disertis verbis panditur Esa. LIII. 10. ubi non satis concinne vertitur: quum posuerit animam suam in Sacrificium piaculare: reddendum potius, quum anima ejus posuerit, i.e. apposuerit, deposuerit, quasi Reatum, i.e. pretium Redemtionis, per quod omnis Reatus deleatur, Sanguinem videl. Piacularem. Hoc aspectu subjungitur & quasi continuatur v. 11. propter laborem animæ suæ videbit semen, eo quod animam suam in mortem evacuavit, i.e. totam profudit, sub infinitis angoribus & doloribus, cui ex immenso onere Criminum cum maledictione Legis, tanquam in Sponsorem, atque in unicum pro omnibus Piaculum, ingruere debebant. His præstructis, accedimus ad varias illas Spargendi Sanguinis Cærimonias, quibus Lex Mosaica Fidei nostræ Arcana hac in parte præfiguravit. Atque

1. Quidem attendi volumus ad expersionem illam Sanguinis, qua Altare Æneum imbui debebat, de qua agitur §. XXII. & XXIII. Hoc Altare ex nostra Tabernaculi delineatione mystica, repræsentabat, quin & adhuc spiritualiter repræsentat, Justitiæ Divinæ severum illum Rigorem & Ardorem, qui deposcat Expiationem Peccati, eandemq admittat & procuret per Victimam Piacularem in Messia. Ergo in Altari hocce, quod quotidie Victimarum Cruore perfundebatur, exhibetur nobis luculentissimus Conspectus Xti, Justitiæ huncce Rigorem & Ardorem omnem subeuntis per mortem maledictam, ut inde nobis fons omnis benedictionis eodem in Sanguine aperiretur, atque perpetuo in nos ad expiationem Peccatorum derivaretur.

2. Deinde observari volumus ejusdem Sanguinis sparsionem ad Altare Aureum in Sancto, de qua §. XXIV. Hoc Altare ex nostro Systemate præfigurabat, atque adhuc figurat, promtissimam illam Dei Gratiam per Xti

Piaculum nobis jam patentem, per quam admittit gratissimam intercessionem nostri Mediatoris, fundatam vigore perenni Sanguinis semel fusi, qui quasi recens semper cluat in Sacrario Celesti, atque Intercessoris nostri jura sanciat, ut postulare possit a Patre omnia illa, quae ad Consummationem Electorum requiruntur, atque simul eorumdem Preces, Intercessiones, & Gratiarum actiones in odorem Deo gratissimum jugiter faciat ascendere.

2. Oculos intendere debemus in ejusdem Sanguinis Piacularis introductionem solennissimam in Sanctorum, item §. XXIV. expersionemque illius ad Arcam Foederis, i.e. ex nostra mente ad Thronum Gratiae & Gloriae, tam largiter supra Operculum, ut illud Propitiatorium inde commadesieret una sparsione: quemadmodum septena sparsio eamdem Arcam deorsum vergens imbuebat. Aperitur nobis hoc in ritu, qui magno die Expiationis publicae locum habebat, admirabilis plane Conspectus nostrae Religionis. Scilicet illud Sanctorum, in quo Arca Foederis, tanquam Thronus Dei erigebatur, repraesentavit nobis proximum jus accessionis ad Deum, nobis sub meliore Oeconomia recludendum cum jucundissima perfruitione Bonorum Novi Testamenti propter Virtutem Sanguinis Piacularis in Cruce fusi. Cum in finem ipse Thronus isto Sanguine respersus, ut ibi flueret & scaturiret, tanquam fons perennis omnis Justificationis, Sanctificationis & Glorificationis, atque inde blandiflueret & derivaretur in Terras ad illa Beneficia Gratiae & Gloriae in Sanctis consummanda. Hic est ille Sanguis Aspersionis in Coelis repositus atque consecratus, ad quem accessisse dicuntur Fideles Novi Testamenti, & unde ipsis haurire liceat omnem efficaciam & potentiam. Hebr. XII. 22. 24.

DE SALITIONE VICTIMAR.

§. XXXI.

Summa quoque erat dignitas & religio Salis in Sacrificiis, quam insigni Verborum Congerie inculcat Lator Lev. II. 13. Omnem Oblationem Sale conspergis: non sines deesse Sal Foederis Dei Tui de super tuo munere: Super omnem Oblationem tuam inferes Sal. Et veluti triplex filum, quo Ceremonia haecce adstringitur, ut inde tanto fortius sentiretur illud Sacro-Sanctum, quod Sali inerat, sine quo tota Victima, tanquam putrida quaedam Caro repudiata fuisset. Ad hanc tam gravem tamque signatam Sanctionem respexisse existimo Dominum Marc. IX. 49. qui Contextus quum magnopere vexetur ab Interpretibus, eam paucis illustrasse juvabit, quia simul pro Clavi inserviet ad Mysterium Salitionis hujus Mosaicae altius introspiciendum: Verba sic habent: Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. Et aliquid in hac serie abruptum & Sententiosum, quod aciem perstrinxit Magnorum Interpretum.

א. Scaliger prius membrum in mendo jacere autumans, hanc tentavit Correctionem: Πᾶσα γὰρ πυρία ἁλισθήσεται: existimatque, vocem πυρία esse Hellenisticam, i.e. confictam a Judaeis Graeca Lingua utentibus, ut exprimeret Hebraicum אִשֶּׁה ab אֵשׁ ignis, q.d. ignitum, i.e. Sacrificium igne consumendum. Audacius haec produntur, quam par est. nam illa vox non comparet apud LXX. in quibus tamen illa Lingua potissimum fundatur. Magis adhuc gravat huncce Magni Viri Conatum, quod duo membra unum idemque resonarent, atque in meram exirent Tautologiam.

ב. Aliis placitum pro πυρὶ substituendum πύρα in hunc sensum: Omnis enim damnandus rogo sive Pyra inferni salietur.

Sed

LIBER III. CAPUT I.

I. Sed plerique jam eo ipso adspectu retineri posse censent πυρί, ut sit: omnis enim igne salietur, quod item explicant de omni damnando. Ansam huic meditationi praebebat filum superius, in quo illi, qui membra sua amputare & exstirpare negant corrupta, dicuntur adjiciendi in Gehennam, cujus ignis non restinguitur, & vermis non intermoritur. Huic explicationi membri primis non intermoritur succinere censent alterum illud quoque ita enunciatum: & omnis Victima sale salietur, quod ita declarant: quemadmodum omnis Victima sub V. Testamento sale saliebatur, ita hi damnandi igne sunt saliendi. Habet quidem haec explanatio maximas auctoritates, attamen durior est, quam ut in ea acquiesci possit: neque enim ulla ratione afferri potest, illam Victimarum salitionem sub Legislatione institutam fuisse, ut repraesentaretur status Damnationis & aeternae Consumtionis. Si quis reponat: hoc quidem in Lege non intentum, sed Xto placuisse id in hunc sensum transferre & applicare; iterum reponam, ne hoc quidem ulla ratione affirmari posse, quia directe sic contra Legem, ejusque ejusq interiorem Sapientiam ista applicatio instituta fuisset & nimium quantum sane detorta a genuino suo scopo. Ambigi scilicet nequit, quin ista salitio Victimarum

αα. Insinuarit effectum notissimum salis, situm in exurendis & expurgandis omnibus principiis putredinis. Hincque

ββ. Vigorem incorruptibilitatis: itemque gratum, &

γγ. jucundum saporem inde redundantem. Omnia enim haec & alia adhuc cum natura salis conjuncta sunt, sicut Plinius venusto inde lusu dixerit: Generi Humano nil utilius esse Sole & Sale: quemadmodum & in Contextu Marci propterea subtexuit Dn. bonum est Sal: itemque Habete salem in vobis ipsis. Ac proinde par non erat,

DE SALITIONE VICTIMARUM

ut hoc Emblema, tam bonum, tam exuberans in omnem
excellentiam Bonorum, in ipsam pessimam partem detorqueatur.
Praefiguravit enim nobile istud Sal, quo Victimae fuerunt imbuendae, Spiritus Sancti potentissimum illum Vigorem & ardorem, quo omnia illa, quae supra in Sale proprio percensui, efficiuntur in illis Hostiis, quae Deo in jucundum odorem ascendunt. Huncce iam Scopum Legis attendens Dn. discipulis suis inculcat inde a V. 41. Veterem hominem esse mortificandum, & omnes Peccati inhabitantis reliquias exstirpandas. Quem in finem sancit, ut putrida membra, quae Offensionem praebeant amputentur, & eruantur, ne incidatur in Gehennam & ignem inextinctum. Quas gravissimas pericopas tandem ita concludit: Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, omnis enim meus Discipulus igne saliendus erit. Admirabile Schema, igne Salire propter igneam illam virtutem, quam ut Sal possidet & exserit ad Corruptionem expellendam, & incorruptibilitatem inserendam; ita vel maxime eundem vigorem potentissimum, & vere ignitum possidet & exserit Spiritus Sanctus in Vetere Homine mortificando, atque Novo Homine ad omnia principia viva vivae Religionis animando ac vegetando. Nota formula vicina, baptizare igne pro ignea Virtute Spiritus Sancti penitus imbui & tingui. Iam invitante materia paululum hoc inflectitur, & variatur venustissima Figuratione, igne Saliri, quia destinatum erat Domino ad Confirmationem hujus Veritatis allegare & conferre Sanctionem nostram Mosaicam, quam ita propterea annectit: καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται, ubi rite observandum, istud καὶ non simpliciter Copulare, sed Comparare, atque reddi debere per ut, sensu ita exeunte: prout omnis Victima Sale salietur: ubi postremum Salietur non respicit Tempus Futurum sed tantum exprimit religiosissimam Necessitatem saliendae Victimae, quam Lex Mosaica tam nervose sanxerat, & tanta repetitione ac Phrasium Congerie inculcaverat.

Alsen

Observandum praeterea in Stylo Sententioso multo potentius censeri *et*, quam *ut*, Comparatione, ut ita dicam, hoc pacto conduplicata atque fortius adstricta. Suffecerit in praesenti unum Specimen Prov. XI. 16. *Mulier gratia pollens apprehendit gloriam*, & *violenti apprehendunt* opes. Haec videntur cohaerere, ut arena sine Calce, & tamen potentissime cohaerent, atque disparatissima arctissime coalescunt, si Comparatio non expressa suppleatur per, et *quidem ut*.

CAPUT II.

De Holocaustis.

§. I.

Principem locum inter Sacrificia occupabant *Holocausta*, Graecis sic dicta, quod tota comburerentur. Denominatio Hebraica עולות *ascendentia*, habet aliquid anceps. Radix עלה *ascendit*, in Specie *Hiphil* הֶעֱלָה *ascendere fecit*, frequenter occurrit pro *immolavit holocaustum*. Volunt autem Rabbini nomen עולה *ascendens* huic Sacro esse impositum, quod totum ascenderet in Altare. Sed assumitur ibi aliquid, quod non quadret in hoc, atque ejus numeros expleat satis expresse prae reliquis. Requiritur ergo usus ille Signatior, quo Verbum עלה *ascendit* usurpatur Metonymice pro *crematus fuit*, & quidem inter volumina flammae & fumi majora. Hoc autem Characterem *Holocausti* complete repraesentat. Appellaturque eodem simili emphasi כָּלִיל undique *complicatum* & *convolutum* Psal. LI. 21. quae est iterum forma Particip. *Pahil* a

DE HOLOCAUSTIS.

a radice כלל. Hinc sublimi Figura enunciatum de Urbe, quae tota cremabatur, Jud. XIX. 40. ויעלה כליל ascendit Holocaustum Urbis, i.e. tota quanta in ignem missa & consumta in Coelum ascendit. Apud Virgilium hocce genus Sacrificii circumscribitur per

— — — Solida Taurorum Viscera flammis,
Imposuit. — — — — — —

ubi minus firmi teneant, Viscera jam non esse capienda ex usu nostro vulgari pro intestinis, sed pro universa Carne: unde Visceratio dicebatur Epulum publicum Populo praebitum. Observetur quoque illud Solida habere usum significationem, quo exprimitur id, quod in Graeco ὅλος, & Holocaustum sentitur ad Universitatem exprimendam. Hisce praelibatis accedimus ad graviora, atque interiorem vim, religionem, atque medullam horum Sacrificiorum aliquot Thesibus comprehendemus, ut pro fundamento subserviant altioris adhuc Contemplationis, per quam introducamur in Spiritualem & Evangelicam eorundem Sapientiam & potentiam.

I. Thesis statuit, Victimam hancce fuisse omnium excellentissimam, quatenus digna habita fuit, quae universa Deo traderetur, quaeque ipsi in jucundum ascenderet odorem. Nihil enim hinc comedendum relinquebatur Sacerdotibus: nullae etiam partes ipsi Offerenti tribuebantur, ac propterea erat quasi Sacro-Sanctum, ac Deo soli destinatum.

II. Thesis infert, in hocce Sacrificio comprehensum fuisse universum Opus Sacrificationis & accessionis ad Deum: ut quidquid cum Deo agendum foret, vel ad impetrandam remissionem Peccatorum, vel ad Beneficia exoranda, vel ad Gratiarum actiones referendas, id per Holocausta posset

administrari secundum primitivam Constitutionem, quæ ante Legem Mosaicam obtinebat, et quæ ex parte quoq remansit adhuc sub Lege ipsa in Sacrificatione Jugi duorum Agnorum singulis matutinis & vespertinis. Etenim hi Agni immolabantur quotidie pro universo Populo sub omni ista relatione & amplitudine, quam modo expressi. Talmudici Doctores quidem tanquam Regulam indubitatam inculcant, Holocausta non expiare. Sed vel gravi errore tenentur, vel mens eorum aliter accipienda, ut respexerint ad Expiationem illam, quæ pro Specialibus Peccatis atque Delictis, secundum peculiarem Constitutionem Mosaicam debebat impetrari per Sacra illa Piacularia, hanc in rem præscripta, quæ appellantur חטאות Peccato, & אשמים pro Delicto. Pro talibus nempe post introductionem Legis non veniebant Holocausta, sed tantum generalem habebant Virtutem ac potentiam, quæ extendebatur ad ea, quibus Speciale nomen vel factum haud competebat, qualia v. gr. Peccata Omissionis & Peccata Commissionis, complicata illa, quæ nemo enumerare valeat, & qualis speciatim illa fœcunda radix & materia omnis Peccati, Originalis nostra labes, atque Corruptio. Hicce Character, ut valde notabilis & distinctus; ita præcipuam quandam dignitatem & religionem huic Sacrificio adstituit.

III. Thesis adjungit, Holocaustum, quamvis etiam Expiatorium esset, ut modo vidimus, summam tamen Puritatem obtinuisse, neque Contagionem istam fœdam contraxisse, quæ præcedentibus illis Piacularibus adhærere censebatur secundum Constitutionem Mosaicam. Hinc etiam Hostia hæc tota Deo adolebatur, quum reliqua Piacularia vel non tota super Altare

admitterentur, vel etiam inde in totum repellerentur atque extra Castra deberent concremari. Omnia enim Publica Piacula, quæ pro toto Populo veniebant, ad indicium summæ ipsius impietatis & Contagionis procul a Sacrario Dei erant repulsa, atque extra Castra comburi debebant.

IV. Thesis tandem subsumit, hisce excellentissimis Sacris præsertim adnexam fuisse formulam solennem, quod essent Deo in odorem acquiescentiæ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας ריח ניחח, Gen. VIII. 21. Lev. I. 9. 13. 17. Exod. XXIX. 18. Radix posterioris vocabuli est נוח vel ניח quievit: unde in Specie Pihlel reduplicata tertia existit ניחח Summa acquiescentia. Triplex hujus Phraseos adspectus & effectus.

AA. Per eam exprimitur suavitas Nares jucundo odore permulcens. Itemque

BB. Insinuatur Iræ permulsio ac sedatio, quæ eam placare valeat. Ac denique

ΓΓ. Inculcatur impetratio Gratiæ & Favoris omnis. Omnia hæc obversabantur Aplo Ephes. V. 2. quum ait Dominum se pro nobis tradidisse εἰς ὀσμὴν εὐωδίας.

Ad hanc aream ulterius jam nobis progrediendum, atque secundum quatuor præmissas Observationes sublimior sensus pandendus, qui se se in Scopo & Complemento omnis Sacrificationis exserit. Aspiciatur ergo

I. Sub Holocaustis Mediator, semet totum Deo tradens & immolans, ut Igne Divino consumeretur. Ubi jam non nimis subtiles erimus, si huncce Ignem non tam Iræ & Iustitiæ Vindicatricis, quam Amoris & Sanctissimi Favoris, exponamus, eatenus saltem, quod in hacce benedictissima Sacrificatione præsertim repræsentatus fuerit ille infinitus Amor, per quem Deus Justissimus, idemque Sanctissimus, & poposcit & admisit Magnum hocce Holocaustum: quod consimiliter infinito Amore Mediatoris consum-

maretur

consummaretur ad Consummationem Salutis & Redemtionis Humanae. Hinc ultro jam elucet gradu

II. Quo fundamento dixerim, totam Summam Sacrificiorum, huc tanquam in suum centrum confluxisse, quatenus videl. jam contemplamur Mediatorem nostrum tanquam Agnum illum Dei, qui universam molem omnium Peccatorum, ipsamq adeo Labem illam Contagiosam Corruptae nostrae Naturae in se suscepit expiandam, & vi nativa suae Sanctitatis exsuperandam. Hinc iterum patescit

III. Quo jure insinuaverim, haecce Holocausta, quantumvis pro Peccatis etiam generatim venirent, ac veri nominis essent Piacula, nullam tamen Labem ac Contagionem attraxisse: quatenus jam Dominus noster considerandus hocce in Sacro, ut perfectissime Sanctus, non tantum quoad Divinam, verum etiam quoad Humanam Naturam: quippe qui esset ipsa Dei Sanctitas, Tò ἅγιον τȣ̃ Θεȣ̃ propria sua Virtute Sanctus, quem nulla unquam labes posset attingere, quiq propter Unionem Hypostaticam immensum quantum, supra omnem Contagionem ejus esset evectus. Ex his tandem

IV. Conficitur, atque completur amplitudo & potentia Solennis illius formulae: ריח הניחח ὀσμὴν εὐωδίας.

R. Nam Xtus per hancce suam Sui ipsius immolationem non tantum Coelos & Terram complevit suavissimo odore suorum Meritorum, quem rependit super Cruce, atq velut Holocaustum deflagravit, verum etiam adhuc Templum Dei mysticum in Coelos simul & in Terris eadem fragrantia adimplet. Virtus enim illa Meritorum Xti nunquam marcescit, sed perenni vigore pollens perennique omnium

Saecul

omnium Sanctorum laude celebratur, atq fundamentum efficit potentissimæ illius Intercessionis, qua Pontifex noster ad Thronum Patiæ & Gloriæ pro suis comparet

ב. Hinc sponte emanat, quod secundo loco erat insinuatum de placatione Iræ Divinæ per huncce odorem penetrantissimum. Quemadmodum et

ג. De Amoris & Favoris Complacentia, atq adeo plenissima Acquiescentia, ita, ut Deus Sibi ex his ipsis, quas præstat Patiis, voluptatem & delicias suas ipsequoque haurire censeatur. Qui jam est Cumulus Supremus omnis Bonitatis in magno opere Patiæ præfulgentis.

Omnia hæcce brevi Tabella a nobis nunc delineata uberrime amplificari poterunt, & justioribus adhuc Coloribus exprimi. Summa omnium comprehenditur admirabiliter Ps. L. 4. Congregate mihi Sanctos meos ferientes Foedus meum עלי זבח super Sacrificio. Notandus est Numer. Singul. per quem inculcatur,

A. Pro Litterali quidem sensu, illud excellentissimum Sacrum, quod sub Vetere Testamento nomine Iugis Holocausti vigebat, quodq, ut ante submonui, singulis matutinis & vespertinis nomine Universi Populi immolabatur.

B. Pro Spirituali autem & altiore sensu spectatur magnum illud, & vere unicum Sacrificium per Messiam præstitum, quum se totum cremandum tradidit εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Non excludimus reliquas species Sacrificiorum, quas Dominus noster item morte sua implevit, sed easdem omnes includimus potius in majorem huncce ambitum, atq ita in unum Centrum, quo simul collineârunt, revocamus, præeunte ipso Domino Messia in Magno illo Contextu Psal. XL. 7, 8. Sacrificium & Oblationem non voluisti, Holocaustum & Piaculum non postulasti, ideo dixi: ecce ego adsum, &c. Sensus hic est; Deum, quum institueret Sacrificationes Mosaicas, non voluisse illas externas, in crassa materia consistentes, & nil solidi Sacrario Cœlesti præstantes, sed unicum illud & solidissimum immensi ponderis, &

æterni

et æterni pretii Sacrificium, quod Θεάνθρωπος sisteret, quum Semet traderet immolandum, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας.

CAPUT III.

DE SACRIFICIIS PIACULARIBUS.

§. I.

Profundissimæ est Sapientiæ, quod haece Sacrificiorum Species appellata fuerit Signantissimo Vocabulo חטאות Peccata, Ἁμαρτίαι. Non simpliciter, ut vulgo volunt, quia pro Peccatis veniebant, tanquam Piacula, sed cum gravissima hacce accessione & Veritate Capitalissima, quod nil posset pro Peccato, tanquam Piaculum idoneum intervenire, nisi Peccatum in Semet susciperet & transmoveret, atq adeo quasi Peccatum, omneq ejus Reatum, labem, poenam ac maledictionem subiret. Hæc est prora et puppis Veteris hujus Cerimoniæ, quæ nisi teneatur, nihil omnino in Spirituali Virtute & potentia magni hujus Sacri intelligetur, nedum ut ejus ubertas omnis Consolationis plena explicari atq exhauriri queat. Ut materia Meditationis quam profundissimæ clarior in lumine collocetur, atq oculos mentesq jucundis radiis impleat, concipiemus iterum quasdam Theses, quæ totidem constituant Characteres distinctos, unde amplitudo, gravitas & ubertas Sacrificiorum Piacularium queat dignosci, tum respectu Veteris Oeconomiæ, & Umbratilis illius Prælusionis, quæ ad meliorem Oeconomiam collimeabat, tum respectu Coelestis illius Conditionis, in quam nos traducti sumus, & per quam Spiritum & Veritatem nobis ex hisce omnibus haurire datur.

2. Characte

De Sacrificiis Piacularibus.

ב. Character sistit Manuum Impositionem cum Confessione Publica Peccatorum, Lev. IV. 3, 4. XVI. 22. Per hanc Cerimoniam, ut Cap. I. latius demonstratum, fiebat devolutio Criminum a Peccatore in ejus Piaculum, non tantum quoad Reatum, sed etiam quoad ipsam labem & maculam, cum Poenis inde pendentibus, ita, ut quicquid esset iræ Cœlestis, in illud Caput Victimæ tanquam nocentissimum, & Diris omnibus obrutum, transire deberet, atq rigorem suum exercere ad ejusdem necem destructionemque.

ג. Character, huic priori innexus, est, quod Piaculari Victimæ ita adhæreret summa quædam Contagio atq impuritas, quæ tantam spiraret foeditatem, ut cuncta, ad quæ accederet, quæque contingeret, polluere & coinquinare censeretur. Hunc Sacri hujus rigorem, ut Judæi appellant, Auctor noster late exposuit §. ultima hujus Cap. ex Lev. VI. 19, 20. sq. Sic pressius inculcatum fuit, non solum Reatum, sed etiam Maculam Peccati, quæ est dirissima foeditas, in hocce Piaculum censeri descendisse, ut per suam impuritatem puritatem Oblatoris declararet, atq ita præfiguraret magnum illud Mysterium Religionis, de quo postea planius & plenius agetur.

ד. Character, præcedentibus item affinis, est, quod ob hanc ipsam tetram, horrendam & abominabilem Contagionem, quæ in Victimas Piaculares translata censebatur, easdemq penitus inficere ac insidere, educi deberent extra Castra Israëlitica, tanquam Terræ pondera quantocyus amolienda, et exterminanda cum publica Devotatione, ut ita & Tabernaculum Dei, & Sanctissima ejus Castra, ab illa veluti peste contagiosa liberarentur. Quum Castra dicimus Israëlis generatim, tria distincte & speciatim sunt tenenda:

αα. Castra Dei, quod erat Atrium cum Tabernaculo diviso in Sanctum & Sanctum Sanctorum.

ββ. Castra Levitarum, quæ propius circum cingebant ipsa Castra Dei. Ac deniq

IV. Castra reliquarum Tribuum, sive universus ille ambitus intra quem metabantur. Ex his omnibus locis, tanquam Sanctioribus secundum suos gradus, exportari debebant Piacula, et quasi expelli, ut dicebant, sub publica Maledictione: quorsum allusum est ab Apostolo ad Hebr. XIII. 11. quemadmodum infra suo ordine latius deducetur. Nunc modo confer. Lev. IV. 11. 21.

ז. Character, praecedentem comitans, in eo consistit, quod sic educta Victima, & dirae neci tradita, ac devota, citra moram deberet deleri per Concremationem, Lev. IV. 12. Illa tamen non erat unica Species abolitionis, sed tamen, ut res ipsa indicat, omnium gravissima. Variavit hic non adeo Hebraeorum, quam Gentilium Caerimonia, attamen & ab Hebraeis nonnunquam variatum. Veluti quum magno die Expiationis unus Hircus Piacularis extra Castra eductus alia nece creditur periisse. Saltem Traditio Talmudica habet, eum de rupe praecipitatum. Sed neutiquam hoc exploratum censeri debet. Videtur ibi longe aliud iter tenendum, de quo alia occasione disputandum. Celeberrima fuit apud Gentiles defossio sub Terram, ut quasi ad inferos amandaretur Caput Sceleratum,, quorsum pertinet Sanctio illa rigidissima, Deut. XXI. 22. de Suspenso Maledicto ante Solis occasum detrahendo de Cruce & in Terram defodiendo. Scilicet, tota natura istius Legis, ejusque applicatio ad Xtum, pro nobis maledictum, et isto etiam nomine sepultum, declarant, istam defossionem non fuisse Quietis & Relaxationis ut vulgo docetur; sed intensissimi rigoris, & gravissimi oneris, ad inferos usque deprimentis. Quod jam obiter attigisse, & insinuasse suffecerit, quum istam materiam alia occasione luculentius simus exsequuti.

ח. Character, summam diritatem horum Sacrorum ulterius demonstrans, est, quod formula illa solennis, ריח ניחוח,

εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, sive expulabat propter illam videlicet
detestabilem Contagionem, qua totum censebatur infectum,
ita ut inde nihil jucundi odoris posset exhalare, confer.
Lev. IV. 11, 12. unde apparebit, Carnem, Cutem, omnia, excepto
tantum adipe & renibus, tanquam aliquod purgamentum, quam-
tocyus flammis ultricibus debuisse aboleri.
7. Character, ab hac tamen diritate & foeditate eximit, ut
modo tangebam, adipem & renes, Lev. IV. 8. quae tanquam par-
tes delibatissimae, et purissimae, ad Altare Holocaustorum
deferebantur, ibique gratissimum nidorem excitabant, sive
ὀσμὴν εὐωδίας, in omni illa amplitudine, quam supra
delineavimus. Inculcatum fuit hoc pacto magnum illud fun-
damentum nostrae Redemtionis & Satisfactionis Mediatoriae
firmamentum, non alium posse Sponsorem nostrum agere,
quam qui intus ab omni labe Peccati esset intactus, quique
summam possideret innocentiam ac puritatem in renibus &
adipe suo. Ergo multum fallit Regula Rabbinica:
Piacularibus nullum infuisse odorem acquiescentiae. Neque
enim eorum acies ad hanc Veritatem Evangelicam potuit
penetrare, quam mox enucleatius in oculis & mentibus de-
figimus, quippe quae medullam constituat totius rei, atque
pptea tanto emedullatius sit eruenda. Claudet Seriem hancce
8. Character, eandem assimili benigniore aspectu cumulabit: quod
Sanguis horum Piacularium, quantumvis Corpora extra Castra
cremarentur, tamen in loca Sanctiora debuerit introferri,
Lev. IV. 5, 6. adhibita Sparsione Septena ante Velum interius
& ipso etiam Cruore illito ad Cornua Altaris Aurei, reli-
quiis ad Altare Holocaustorum effusis, et consecratis, v. 7. ibid.
Omnia haec in eundem collimeant scopum, atque inculcabant,
quantumvis Piacularia Sacra omnis horroris essent plena,
atque a facie Dei expulsa sub exsecratione dirissima, id tamen
non aliunde venire, quam ex imputatione illibata interiore

puritate & naturali Sanctitate, quæ residere debebat in Sponsore, cujus Sanguis, i.e. anima, sub omni illo onere Reatus, Maculæ & Poenarum maneret in se innocentissima & dignissima proinde, quæ in Loca Sanctiora introferretur, ibiq summa cum religione conservaretur, ad perennem Expiationis Virtutem atq potentiam.

Omnia hæcce lineamenta Veteris Cærimoniæ jucundissimam lucem nobis prospandunt ad Sublimiorem illum Conspectum, quem Veritas Evangelica nobis aperit in magno illo Saeculari Sacrificio, quod per Sponsorem ~~Veteris~~ Œconomiæ seu Foederis Novi præstitum est.

A. Enim Agnus ille immaculatus Dei in se devolvi passus est, atq in suum Caput transmoveri, omnia Suorum Crimina atq Peccata intiveniente veluti Typificatione Solenni, et impositione illa Manuum, quam supra inculcavimus Sanctione sane quam religiosissima ad naturam Sponsionis et imputationem Peccatorum in Sponsorem depingendam. Hæc aliunde nota attingimus tantum, atq ex hoc fonte amplificanda aliis relinquimus. Hac autem clavi multa reserantur, quorum Sensus alias interclusus. ut quum Psal. XL. 13. Messias ita loquens introducitur: Mala sine numero cooperuerunt me, apprehenderunt me iniquitates meæ. Non utiq, quas Messias commiserat, sed quas per Sponsionem susceperat expiandas, ut V. 8. ibidem insinuatur. Iterum Psal. XLI. 5. 10. ubi Messias hanc Vocem mittit: Sana animam meam, nam peccavi Tibi, חטאתי לך, ita quidem omnes Versiones, et potest explicari secundum id, quod modo indicatum. Sed hic quidem & mollius ad phrasin, et plenius ac potentius ad Sensum: Reus factus sum Tibi, et peculiari videl. usu Verbi חטא, quo sæpe Contractionem gravioris Reatus infert, qui nonnisi morte possit expiari. Eadem Veritas & Doctrina luculentius panditur adhuc, Esa. LIII. 4. Seq. quibus non est, cur immoremur, quum sua se luce satis ingerant, atq amplitudinem hujusce imputationis in claro die collocent. Hinc autem perspicisci datur, quanta cum

emphasi

emptasi Apls. pronunciavit 2 Cor. V. v. ult. Eum, qui peccatum non noverat, peccatum pro nobis fecisse Deum, ut nos redderemur justitia Dei in ipso. Textus Graecus habet, ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἐποίησε, quae mira sane est loquutio, ad cujus nucleum medullamque non poterant illi Commentatores penetrare, qui se multum praestare credunt, quando submonent, esse Hebraismum, quo ἁμαρτίαν peccatum, nil aliud significet, quam Sacrificium pro Peccato. Atqui ille ipse Hebraismus, per quem חטאת Peccatum, frequentatus fuit pro Sacrificio Piaculari hanc habebat certissimam et gravissimam rationem, quod peccatis in Caput istius Victimae devolutis, tota censebatur facta esse Peccatum, Reatu, Macula, et Poena, simul huc transfusis, et ad necem devotissimum illud omni Maledictione Caput adigentibus. Ita elucere incipit illud undique cumulatum, atque universa exsecratione Legis onustum, quod Apls. nunc intendit, quum ita in Abstracto dicit, eum, qui peccatum non noverat, peccatum pro nobis esse factum. Ipsa oppositio, quae inter duo membra instituitur, admonere utique potuisset eos, qui Veritatem quaerunt, Peccatum in posteriore parte jam non simpliciter esse Sacrificium, sed talem Sponsoris Conditionem designare, qua veluti obrutus omnibus Peccatis sub eorum onere necem Sponsoriam et Expiatoriam deberet subire, quippe qui jam non tantum esset Maledictus, sed ipsa Maledictio factus, quemadmodum eadem Figura Abstracti pro Concreto eandem hancce fundamentalem Doctrinam Apls. iterum inculcavit Gal. III. 13.

B. Idem hocce per I. nostrum Characterem clarius adhuc dilucescit. Sub eo videbamus, vim quandam Contagiosam, in Caput ita Criminibus oneratum fuisse devolutam cum omnibus diris et exsecrationibus Peccato debitis. Hocce fun

damentis

fundamentum Religionis nostræ & Redemtionis iterum aliis adhuc Coloribus exprimit adhuc Apls. Rom. VIII. 3. quum ait, Deum misisse Filium suum in Similitudine Carnis Peccati, idq pro Peccato, ut Peccatum condemnaret in Carne. Sunt loqutiones profundi & abstrusi sensus, qui penetrari nequit, nisi ad lucem, quam cum maxime accendimus in Sacris Mosaicis.

α. Phrasis, Similitudo Carnis Peccati, declaratur per ℞. nostrum Caracterem, cum hocce ℞. connexum. Habebat enim Sponsor noster non tantum Carnem mortalem, sed etiam omnibus mortalitatis nostræ Malis oneratam, quia totum Omnis Criminum cum omni eorundem exsecratione in se susceperat. Deo tam signanter dicitur, in Similitudine Carnis Peccati, quatenus nps. nostra Caro tanquam Sedes Peccati considerator. Unde & absolute Caro peccati labem & Contagionem designat. Talem Carnem induit Filius Dei, quantumvis ab omni labe et Contagione Semotissimus, quatenus omnem nostrorum labem & Contagionem in se devolvi passus est, quod jam Apls. appellat Similitudinem Carnis peccati. Ita percipitur sponte, quid in sinu gerat

β. Membrum, idque pro peccato ÷ ut peccati vis & aculeus Legis infringeretur, atq per Satisfactionem Justitiæ Divinæ præstitam omnis exsecratio aboleretur: quod jam per sequentes Caracteres plenius patescet. Quemadmodum &

γ. Nostri Contextus Membrum inde suam lucem recipiet: ut peccatum condemnaret in Carne ÷ omnes postulationem Poenæ adversus Peccatorem peccato adimeret: quin imo ipsum peccatum, tanquam injustum possessorem Peculii Dei, damnaret, idq in Carnem veluti suppicium penitus deleret, destrueret, in nihilum redigeret, morte simul & peccato per gloriosam immortalitatem Filiorum Dei absorbendis.

C. Quem ponebamus, Caracter, repræsentat nobis cum exsecratione Legis, quam in se susceperat, Sponsorem nostrum extra

Castra

DE SACRIFICIIS PIACULARIBUS.

Castra amandatum cum maledicta Cruce, Centro et meditullio omnis diritatis et horroris. Huc collineabat iterum Apls. Hebr. XIII. 12, 13. ubi commendat, ut Xtum sequamur extra Castra, ignominiam ejus ferentes. Sic innuit pro sua Sapientia is, qui in hac Epistola nobis Hebræorum Sacra reseravit, Dominum nostrum, tanquam Victimam Piacularem, non solum ejectum fuisse e Templo et Sacrario Dei, sed etiam ex ipsis Sedibus Urbis Sanctæ, in locum profanissimum, qui sedes erat Supplicii publici Sceleratorum, sub omni infamia exspirantium. Illuc tendit signatissimum illud; ignominiam ejus ferentes ∴ Crucem ignominiosissimam, quam s. strenue suscipiamus, ex Communione quoq. hominum quodam modo sinius expellendi, quatenus ille exsecratione Legis per Crucem abolita nobis interius Dei Sacrarium, ipsasq. Sedes Cœlestes, reseravit. Pravius adhuc sequens,

D. Character inferebat Cremationem in Cineres, aliosq. modos dira necis qua tale Piaculum exscindendum erat & penitus abolendum. Ad hunce aspectum quoq. Dominus noster dicitur excisus ex Terra viventium, Esa. LIII. 8. quatenus nps. Vetus noster Homo, sive Corpus Peccati, sic in eo, et cum eo exscindebatur. Eodemquoq nomine in Sepulcrum descendit, ut Corpus, & universam molem Veteris Hominis, pro Reatu, pro Macula & Poena, secum sepeliret, atq. ita aboleret: quemadmodum Mysterium hocce nobis evolvitur, et enucleatur, Rom. VI. 3, 4. Eodemquoq collineat Descensus ad Inferos, non localis, sed relativus, quatenus hoc erat relatio omnis diritatis plena, per quam non anima Xti, ut infeliciter hic disputari solet, sed tota Persona θεανθρωπου concipitur ad Inferos usq. esse demersa, i.e. ad infimum usq. gradum Humiliationis redacta, recumbente ei hactenus morte maledicta, qua ad momentum Resurrectionis demum evicta, atq. triumphata fuit. Hactenus dura et dira omnia, sequuntur jam lætiora. nps.

E. Nost

E. Noster Caracter ferebat, cum F. conjunctus, abfuisse quidem odorem Complacentiae a Sacris Piacularibus, quatenus mors illa erat horribilis et maledicta; sed tamen Cruor & Adipes harum Victimarum super Altare Dei jucundum nidorem exhalasse. Quin imo, quod G. Caracter insinuabat, Sanguinem intrōlatum fuisse in loca Sanctiora, ibidemque expersum & consecratum. Haec jam pertinent ad Xti Exaltationem, per quam abolita Maledictione pro se et Suis declaratus est fons omnis Benedictionis, qui intactus ab omni Peccato, et pro Peccato tamen mortuus jam peccatum & mortem absorbserit ad Victoriam, sive ut Phrasis לנצח proprie valet ad purum putum, ita ut nec Reatus, nec Macula, nec Poena ulla remanserit pro iis, qui sunt in Xto Jesu, pro quibus videlicet Sanguis ille Foederis consecratus fluit, et perenni Vigore floret in Sanctuario Dei Spirituali illo ac Coelesti, ita ut Virtute ejusdem nobis nunc accedere detur ad Thronum Gratiae & Gloriae, atque ut Regale Sacerdotium ad Sanctum Sanctorumque hic in Terris penetrare liceat, i.e. primordia recipere & praegustare eorum Bonorum, quae per beatam immortalitatem consummabuntur.

CAPUT IV.

DE SACRIFICIIS PRO DELICTO.

§. I.

Intimam affinitatem cum praecedentibus Sacrificiis pro Peccato habent אשמים Sacrificia pro Reatu dicta, vel ut alii malunt, pro Delicto. Scimus, quid illa Vocabula pp. designent in Latinis: nam a reus descendit Reatus, et Delictum a delinquendo. Sed quid proprietas Hebraica exprimat, non aeque scimus. Commodior fuerit ad Originem vox Offensa ab offendendo, i.e. impingendo, quum videlicet per imprudentiam impingitur ps, atq ita Offensa adversus Legem committitur. Quomodo autem hoc Sacra Piacularia differant ab חטאות de quibus modo diximus, disputatur, nec satis accurate definitur. Placet interim Cl. Auctoris discussio et judicium §. II — IV. expositum. Nos contenti erimus ad interiorem medullam nostra meditata direxisse, atq Clavim praesertim Spirituali Applicationi porrexisse, ut quid Veteres hae Caeremoniae, et pro Oeconomia Umbratili, & praesertim pro Oeconomia Evangelica ad nostrum usum & fructum valuerint, pernoscatur. Incipimus itaq a Denominatione rerum, per quam hoc Piaculum item ut praecedens, appellatum fuit Offensa, Voce παράπτωμα, quia veniebat pro Offensis, atq omnem eorum Reatum, Maculam, & Poenam in se suscipiebant. In hoc ergo conveniunt hae duae Species, atq jam Compendifacere nobis licet quamplurima, quae iis, quae longius Cap. praecedent. excussimus. Indicandae tantum restant quaedam Notae Characteristicae, quibus notabilis differentia e-

xistit

existit inter haec illaq: ut ita via ad interiorem potentiam accuratius introspiciendam aperiatur. Distinctus

2. Est Character, quod haecce Piacula non publica erant, sed privata, i.e. non pro Universo Populo fiebant, sed pro Personis tantum privatis.

3. Character etiam signatissimus & eminens in eo situs, quod haec Piacula non expellerentur extra Castra cum publica Execratione in ipsorum Caput injecta. Hoc ex praecedenti ultro consequitur, atq maximam dabit lucem

4. Tenendus & hicce Character distinctivus & profundissimae Religionis atq Sapientiae, quod partes selectae horum Sacrorum cremarentur super Altare, Lev. V. 3–5. aliae partes a Sacerdotibus deberent comedi, atq ita in eorum Viscera trajici, ibid. v. 6, 7. Quanta Religio huic Sanctioni fuerit addita, percipi potest ex Exemplo Lev. x. 16–18. ubi Moses acriter increpat Aaronem & Filios ejus, quod non consumserint Carnes Victimae Piacularis, quemadmodum ipsis incumbebat, ut ita ferrent iniquitatem Israëlis. Mirabilis loquutio, quae jam nobis ansam porrigit ad rationem hujus Sanctionis pervestigandam. Primo adspectu oritur nodus insolubilis: nam ex iis, quae hactenus deduximus, liquet, haecce Piacula onerata Reatu, Macula & Poena delinquentis, meram spirasse Contagionem. Abhorret ergo, ut tales Carnes assignentur Sacerdotibus, ad eas comedendas & consumendas, quoniam sic omnem illam Contagionem intra Viscera & medullas recipiebant. Si enim tanta erat eorum Sanctitas, ut si vel minimam impuri particulam attigissent, eo ipso pollueruntur, quanto magis a Capite ad calcem debuerunt pollui et impurari, quando per Concoctionem talium Carnium omnis illa vis talium Carnium contagiosa in eorum Venas & Sanguinem diffusa fuisset

Magnum

DE SACRIFICIIS PRO DELICTO.

Magnum profecto Paradoxum, grande Mysterium, quod pro Oeconomia Veteris Testamenti nobis inculcatum fuit per illa ipsa Verba Mosis: Ad ferendam iniquitatem Israëlis :: Ad Succedendum vice populi Sub omnem molem iniquitatis eorum, atq eminentissima, qua pollerent Sanctitate Contagiosas eorum labes in se recipiendum simul et expiandum. Considerantur ergo hic Sacerdotes, tanquam tales, qui Divinitus aucti sint gradu Sublimi Sanctimonia, per quam aliorum Crimina possint absorbere quasi et penitus abolere. Cerimonia sane quam lucidissima ad magnum fundamentum nostra Religionis in Xto Jesu stabiliendum.

np. Sic delineatum fuit magnum illud opus et munus Pontificale, quod etiamnum viget in Templo Coelesti, ut per eminentissimam Sanctimoniam noster Pontifex, continuo aboleat, et quasi absorbeat omnia omnium Crimina in ipsum congesta cum plenissimo jure, quod sibi semel acquisivit ad Reatum, Maculam et Poenam omnium in se translatam simul auferendam atq evincendam potentissimo suo Numine et nutu, quo jam evectus ad supremum Culmen Majestatis Peccata nostra instar nubis delet, et jubare suo, ut Sol scilicet Justitiæ dispergit, atq in totum absorbet. Erat adhue ultimo loco discrimen insigne inter אשם nostrum et praecedens חטאת, quod Sanguis ejusdem tantum ad Altare exterius spargeretur, non autem introferretur in Sanctum, neq vel ad Altaris Aurei Cornua lineretur, vel ad Aulæum Versus exspergeretur. Ut ratio hujus notabilis differentiæ percipiatur, tenendum, Publica Piacula potissimum repræsentasse impetrationem Salutis, quemadmodum ea in Scholis Theologicis distinguitur ab applicatione Salutis: ideo in præcedenti ista Specie חטאת nobis exhibetur Sanguis Piacularis

introlatus

introlatus in loca Sanctiora, Consecratus ad Altare Aureum, respersus ad Aulaeum, ut virtute sua illud removeret, quin imo ad Arcam Foederis ipsam, ad Thronum Gratiae, semel quotannis solenniter dedicatus, ut velo jam remoto liber introitus pateret Regali Sacerdotio N. Tti, quae omnia Ap. Hebr. IX. 19, 20. admirabiliter complexus fuit; quum ait: habentes itaq viam recentem et vivam ad ingrediendum per velum, per Carnem, Scissam scil. in Cruce, quam patefecit nobis noster Pontifex suo Sanguine, &c.

In Piacularibus autem Privatis hisce, de quibus jam agimus, magis spectata videtur applicatio Salutis, in Innovatio et Continuatio et Consummatio hujus Beneficii in cujusq Conscientia per Spiritum Gratiae, ita ut ad Pontificem nostrum nunc accedamus cum renovata tantum memoria mortis illius Piacularis, quam semel subiit, atq illius virtute eum complectamur, tanquam potentissimum nostrum Expiatorem, qui plenissimum sibi & nobis jus acquisivit ad omnia nostra Peccata solo nutu suo delendas, omnemq a nobis Reatum, Maculam & Poenam in totum auferendam. Hoc erat illud, quod intendisse videtur Esa. LIII. 10. Si anima ejus posuerit Reatum, Sacrificium pro Reatu, videbit Semen, Cui Messias impetratione Salutis impleverata et ejusdem applicandae jus sibi acquisiverit, videbit quotidie novam sibi Sobolem Sanctorum efflorescere in jura Filiorum Dei, ut per ipsum Justificati & Sanctificati tandemquoq cum eo glorificentur.

Caput V.

De Sacrificiis Pacificis.

§. I.

Cumulum imponet hisce Speciebus Sacrificiorum quarta, cui nomen inditum שְׁלָמִים a radice שלם, quae diversis praedita notionibus diversas praebuit ansas deducendae hujus appellationis. Significat enim pacem habere, incolumitate et salute gaudere: Significatque complere, consumare. Denique significat retribuere et rependere id, quod debetur. A prima potestate plurimi vel Pacifica, vel Salutaria hoc vocant Sacra: ab altera alii Completoria vel Consumatoria malunt: a tertia denique alii Retributoria, quod partes hujus Victimae non soli Altari, aut Altari et Sacerdotibus, sed etiam ipsis Offerentibus tribuerentur, admissaque in Communionem ejus universa Familia.
Est in omnibus hisce aliquid, quod se satis commendet: praeponderare tamen videtur prius etymon, a Pace et Salute ductum, cum quo tamen intime cohaeret secundum quoque a Complemento desumtum vel Consumatione: nam ipsa Pax et Salus Metonymice inde defluxerunt. Ut adeo nobis utramque ideam conjungere liceat, atque Completorium Pacis vel Salutis appellare hocce Sacrum. Ejus sane virtus et potentia illuc collimebat, sive Oeconomiam Veterem spectemus, sive Novam et Evangelicam. In eo enim exhibebatur Testimonium Pacis a Deo impetratae, Salutis obsignatae, et cumulatissimae cum Deo Reconciliationis, ita ut ad Mensamque Dei discumbere decerentur

et dapibus

dapibus Divinis epulari. Scil. ut B. Auctor noster §. V. et VI. exposuit, ad Communionem hujus Victimae non tantum admittebantur Sacerdotes, sed tota Familia immolantis sine discrimine Sexus et Status. In qua quidem Tabella Veteris Ceremoniae nobis ad vivum expingitur plenissimum illud jus Filiorum Dei, quod sine ullo discrimine tandem aliquando per meliorem Oeconomiam dispensaretur ut ad Convivium Dei apparatissimum accedere ipsis liceret, atque super hoc omnis Pacis Completorio solenne cum Deo Foedus sancire.

Ut interim materia profundissimae meditationis adhuc in clariorem lucem et diem educatur, pressius a nobis insistendum erit in Denominationem illam Completorii Pacis, quae admirabiliter foecunda est, atque ambitu suo complectitur omnem reliquorum Sacrificiorum medullam repraesentatam in Compendio, et participantibus obsignatam: ut quidquid resideret virtutis in עולה Holocausto, quidquid in חטאת Piaculo pro Peccatis, quidquid in אשם Piaculo pro Reatu vel Offensa potius; id omne in hoc omnium Commune Centrum quasi confluxisse censeretur. Hoc eminentissime relucebat ex eminentissima quoque Specie horum Completoriorum, quod vocamus Pascha. Id enim totum consumendum erat a Sacrificante et Familiâ ejus, sic veluti immissa in possessionem Regalis Sacerdotii, qua de re adhuc plenius alibi erit dissendum. Nunc tantum prima fastigia attingentes breviter defungemur, atque dicemus, eum, qui de Sacro Completorio participabat, recepisse atque in viscera velut trajecisse expiatoriam illam potentiam, quae residebat in Holocausto ac si ipse in Holocaustum immolatus fuisset, una cum suo Capite et Sponsore Foederis: recepisseque, atque in se

-cus

atq in se trajecisse eandem Virtutem expiatoriam, quæ residebat in Piaculo pro Peccatis, ac si ipse in Sponsore suo satisfecisset, insitus in ejus Iustitiam, et una Planta cum eo factus: Deniq recepisse et in se trajecisse potentiam expiatoriam Piaculi pro Offensa, quatenus eum glorioso suo Capite intime conjunctus per ejus Sanctimoniam omnes suas Offensas continuo sentit exsuperari, ad majorem quoq Sanctimoniam ex ipso hauriendam, atq ita per Offensas ipsas proficiendum ad gressus firmiores, atq ad plenissimam Consummationem, quæ per שְׁכֶם Completorium hocce nostrum fuit designata.

CAPUT VI.

DE AGNO PASCHALI.

§. XIV.

Monebamus novissime, inter Sacra Completoria, Pacis & Salutis, principem locum tenere Agnum Paschalem, in quo quasi Summa Summarum, Centrumq adeo ac meditullium situm fuit, in quod omnes omnino Sacrificationes confluerent ac conspirarent. Hæc Caussa fuit, quod Sacramenti quoq virtute ac potentia fuerit obsignatus hicce Agnus Paschalis, in Signum vidiel. & Sigillum simul plenissimæ cum Deo reconciliationis, & cumulatissimi juris in omnia Beneficia Foederis Gratiæ. Iuvabit itaq in hanc materiam diutiùs & profundius penitius intravisse, ejusdemq medullam quantumpote paucis gustandam præbuisse. Incipimus a nomine Pascha, concepto ad formam Chaldaicam, quæ in

N. emph.

in א emphaticum terminatur פִּסְחָא, quod secundum
Dialectum Hebraeam foret הַפֶּסַח. Ejus radix פסח est ex
rarioribus, unde nec de propria potestate ejus satis constat,
nec de ratione hujus denominationis satis firmi Calculi sub-
duci potuerunt. Vulgo quidem per manus traditur, et omnium
ore celebratur ac affirmatur, vocabulum significare trans-
itum, atque appellationem hancce fuisse desumtam ex eo, quod
Angelus perditor transiit domos Israëlitarum in Aegypto.
Sed plane precarium est illud etymon, et tam dilutum, ut
mirari sit, tanto consensu illud potuisse comprobari.
Est interim traditio haecce valde vetusta, sub hoc tamen
discrimine, quod veteres magis respexerunt ad Transitum Ma-
ris Rubri: unde et Philo Judaeus reddit διαβατήρια
ἀπὸ τοῦ διαβαίνειν, quo titulo Judaei insigniverunt Hostiam
solenniter immolatam, quum flumen vel mare esset trajiciendum.
Nos ut in solido stemus, pedem figemus in ipso Textu S.
Exod. XII. 22,23. ubi Verba sic concepta: ועבר et trans-
ibit Jehova ad percutiendum Aegyptios, et videbit sangui-
nem Agni ad superliminare, et non permittet, ut perditor
intret ad aedes vestras ad percutiendum, ופסח Dominus super
porta, etc. Nihil minus ibi quadrat, quam transibit,
hoc enim verbo עבר in principio versiculi fuit significa-
tum, atque manifestissime sub nostro voce פסח quantumvis
hactenus incognito aliquid continetur, quod inferat prote-
ctionem, gratiam, praesentissimum numen, perditorem
Angelum repellens ab aedibus sanguine illitis, nec eun-
dem permittens illuc irrumpere. Istam protectionis prae-
sentissimae vim assequi potuissent et debuissent Interpretes
ex illustri Contextu Esa. XXXI. 5. ubi alluditur ad beneficium

Israël

Israëlitis in Ægypto præstitam. Verba sic habent: Sicut aves volatu imminentes, ita יָגֵן protegit Iehova super Hierosolymis protegendo, & eripiet פָּסֹחַ, & faciet elabi Nemo mortalium tam hebes et caecus, ut ibi quadrare autumet transeundo. Depingitur ibi potentissima defensio, metaphora desumta ab avibus, quae alas suas expandunt super suos pullos, imminentes volitando ipsi nido, atq ita tenerrimum affectum praestando. Apparet, nil minus ibi quadrare, quam transitionem, vel praetergressionem, quam multae Versiones expressere. Hoc pro suo lumine & acumine sentiens Clar. Vitringa adscivit paululum immutatam notionem transiliendi, atq ibi eam explicuit contortiuscule, toto Corpore superimminere atq ita quasi transilire. Liquet inde, in quantas angustias maximaquoq Ingenia redigantur, quando idonea Linguae Copia destituantur. Illaquoq transiliendi potestas tam parum habet fundamenti, quam praecedens transeundi, atq in tenebris tantum arrepta fuit ex uno loco obscurissimo, 1 Reg. XVIII. 26. ubi de Sacerdotibus Baalis, cum Elia contendentibus, dicitur, יְפַסְּחוּ super altare, quod construxerant. Ingestum ibi a nonnullis, & transiliebant super altare, quod quia non facile intelligi queat, emollitum fuit iterum ab aliis per insultarunt in altare, quod quidem se satis intelligitur, sed jam plane deflectit ab illa notione transiliendi, aut praetergrediendi. Laviores adhuc nodi nectuntur, si respiciamus ad Significatum claudicandi, quae sine ullo jam dubio sub hac radice comprehenditur: nam פֹּסְחִים in Part. Praes. Kal exstat 1 Reg. XVIII. 21. pro claudicantes, unde & alii ibidem v. 26. vertere maluerunt, & claudicarunt super altare: in Niphalquoq

נִפְסָח 2 Sam. IV. 4. notat, *claudus factus est*: Denique Derivatum satis frequens פִּסֵּחַ ex forma Pihhel valet *claudum*. Unde simul liquet, omni fundamento non destitui, qui supra reddebant, *claudicarunt* super vel contra altare: nam per Derivatum illud vis intransitiva hujus Speciei confirmatur. Sic quidem *claudicatio* huic Themati subesse deprehenditur, sed unde illa deducta sit, nondum reperitur. Id exsculpere conatus fuit Clar. *Coccejus* ex cognato themate פשע, quod Lexica exponunt *gradi*, seu *gradum facere*, eo quod claudicantes majores faciant gradus dictis. Inde quoque explicuit Textum Exodi, *gradum faciam praeter vos*, sive praeter fores vestras: quae adeo incommoda sunt, ut in iis nemo facile acquieverit. Quod ut clarius pateat, inspiciemus alios adhuc Contextus circa institutionem Paschatis expressos. Exod. XII. 12, 13. ubi sic incipitur: et transibo per Terram Aegypti ista nocte, percutiamque omnem Primogenitum, etc. adhibetur iterum Verbum עברתי, et inde subjungitur v. 13. eritque Sanguis vobis in Signum super aedibus, in quibus habitatis, et videbo istum Sanguinem, et פסחתי super vos, et non erit in vobis plaga ad perdendum, quum percussero Terram Aegypti. Si ibi reddatur, *gradum faciam* praeter vos, sive *praetergrediar*, pro gravi aliquo, et insignito sensu datur dilutissimus, quod adhuc plenius sentietur, si oculus conjiciatur in v. 17. ita digestum: dicetisque, Sacrificium פֶּסַח hocce Jehovae, qui פָּסַח super aedibus Filiorum Israëlis in Aegypto quum percuteret Aegyptios, et aedes nostras הִצִּיל eripuit, sive extraxit valido brachio, manu vindice.

Observandum diligenter, eodem Vocabulo הציל utrumque Esa. XXXI. 5. conjunctim cum Verbo פסוח, quod proinde multo potentius.

DE AGNO PASCHALI

Hunc Chaldæus Paraphrastes loca Exodi. convertere non dubitavit adhibito Verbo Clementiæ parcentis, itemq Arabs Erpenianus in Pentatheuco. LXX qq adhibuerunt Vocabulum σκεπάζειν obtegere, protegere. Quæ quidem sic satis sensui respondent, neutiquam tamen id præbent fundamentum, in quo pes figi queat. Liquet enim has Versiones sola Conjectura nixas, solaq specie Convenientiæ, non liquet autem, quomodo hæc Significatio vel protectionis, vel Clementiæ parcentis, constet cum altera illa, Claudicationis, quæ themati nostro liquidissime subest. Hæc ante concilianda sunt, et commode deducenda, quam in Solido et tuto stari queat. Hæc autem Conciliatio inveniri nequit, nisi ad opem & lucem Dialectorum, unde major nobis copia Veteris Linguæ subministretur. Teneatur ergo, فسح apud Arabes esse laxavit & laxatus fuit, Transitive et Intransitive. A laxatione facillimus transitus ad luxationem: qua arsa laxari dicitur Compages, quæ luxatur: ut in membris, speciatim in femoribus, unde jam ultro exsistit Claudicatio. Idem tamen laxare invitat & recipit ultro diversissimos usus vel protectionis, laxitatem præstantis, vel Clementiæ relaxantis. Ut jam secundum huncce ductum vel hoc, vel illud, sequi liceret, quod modo ex LXX. & Paraphraste Chaldæo productum. Necdum interim penetratum in interiorem medullam Linguæ, quemadmodum ea olim vivo usu frequentata fuit. Hoc oculis planius et plenius subjecisse juvabit. Lexicographi Arabum nostrum פסח exponunt per فسح laxitatem amplissimam & spatiosissimam: itemq עכום פסח sedem laxam per بافسح amplissimam, Spatiosissimam, omni Copia abundantem: iterum פסח לו per يفسح laxitatem & amplitudinem spatiosissimam ei præstabit in Convivio & Consessu: quin & amplius ההפסחהו in Convivio per افسحوا laxitatem amplissimam & spatiosissimam obtinuerunt, cum pectore etiam relaxato in omnem lætitiam & festivitatem.

Hæc

Haec omnia admirabiliter quadrant in Solennitatem Paschalem, atq festivum illud Convivium, quod in Ædibus Israëliticis tunc cum maxime celebraretur, quum Angelus vastator per Aegyptios telo mortis desaeviret. Est etiam admirabilis Convenientia illa inter nostrum פסח ita consideratum, & ישע Salutem laxissimam, unde Domino JESU nomen impositum: quippe in cujus potentissimam illam liberationem a gladio mortis & damnationis, immissionemq in jura Filiorum Dei, atq epulationem festivam Novi Testamenti hocce Sacramentum Paschale collineabat. Applicemus itaq hancce medullam suavissimam Linguae tam litterali, quam Spirituali sensui in locis supra adductis Exodi.

א. Erat Exod. XII: 3. ubi jam ita convertimus: ופסחתי Super vos, dum scilicet gladius desaeviret super Aegyptios: tenemus protectionem clementem, sed ditissime jam amplificatam per omnem illam laxitatem, quam modo explicuimus & enucleavimus, laetitiae Convivalis in Ædibus amplissimis & spatiosissimis ÷ omni angore et terrore mortis liberatis, atq in Ædes Deo Sacras veluti dedicatis, cum libertate, abundantia, & opulentia Filiorum Dei.

ב. Postrema hocce nos jam invitant & evocant ad ulteriorem Cursum ingrediendum, atq mysteria Paschatis, ejusq Convivii Solennissimi pandenda. Sed illa materia commodius adhuc pertractari & enucleari poterit ad LIB. IV. ac propterea nunc defungemur discussione alterius Quaestionis. Disputatur enim inter Philologos, an Pascha fuerit Sacramentum tantummodo & Convivium Sacramentale; an & Sacrificium veri nominis? Cl. Auctor in nostra S. addubitat. Rationes Negantium fuisse & Sacrificium, hae sunt

I. Quod diversa sint statuta, diversae Cerimoniae Paschatis & Sacrificiorum: quum Sacrificia adduci deberent ad Altare, ibiq Deo immolari cum sparsione Sanguinis,

Crematione lectissimarum partium super Altare: quale quid in Paschate, sive in Agno Paschali non observatum, quippe qui totus a Patre familias, cum suis, erat consumendus, nulla parte concessa Altari, nulla etiam Sacerdoti.

II. Instatur ex eo, quod omnia arguant, fuisse potius Convivium Sacrum, celebratum in memoriam potentissimae hujus Eductionis ex Aegypto per anniversariam Solennitatem, quae ab universo populo erat obeunda Hierosolymis, et quidem in Aedibus privatis ista festiva epulatione concelebrata; quum epulatio Sacrificalis in Templo fuisset obeunda.

III. Ex hoc urgetur, quod mactatio et immolatio hujus Agni etiam non videatur peracta fuisse in Templo, atque adeo nec peragi quidem potuisse propter immensum illum numerum, et hominum et agnorum, qui in Atrio Templi debuissent comparere: qualem frequentiam angusta ejusdem Spatia non potuissent admittere. tanto nimis, quod mactatio ista inter duas Vesperas secundum Sanctionem Mosaicam foret acceleranda, cujus temporis mensura ultra tres horas non videatur posse extendi.

Sunt haec sane argumenta satis speciosa, neutiquam tamen solida, saltem multo solidiora ea, quibus adstruitur, fuisse et Sacramentum et Sacrificium, in omni amplitudine istius denominationis.

Ad. In hac acie est, quod ubique appelletur זֶבַח, quod est generale nomen Sacrificiorum, ut Exod. XII. 27. et in magna emphasi Exod. XXII. 18. Non diffitendum quidem, idem hocce vocabulum latius extendi ad omnem epulationem festivam: quin et Originem ejusdem istam laxiorem usum ultro intulisse, quippe quae sita sit in Scindendo, et laniando. Hoc tamen vim hujus argumenti non potest infringere, quia altera illa Significatio saltem praepollet: atque in Lege Mosaica istam saltem Significationem Sacrificalem ubique exserit. Unde et Apls. 1 Cor. V. 7. illuc digitum intendens, ait: τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. quod quidem non aliam

admitt.

admittere potest interpretationem, quam, in Sacrificium immolatus est, ad Paschale illud Sacrificium complendum, atq ita nobis omnem ejusdem ubertatem sub meliore Oeconomia præstandum. Magnam hinc

ββ. Instantiam subsumo ex eo, quod in Paschate fuerit Complementum & cumulus omnium Sacrificiorum etiam pro Israëlitis veteribus, nedum pro Israëlitis Novi Testamenti. Ut hoc plenius percipiatur, repeti velim ex iis, quæ de vocabulo שְׁלָמִים supra disseruimus, huc lumen suum transfundunt. Attendimus enim, hæc Sacra appellata fuisse ex eo, quod Pacem cum Deo complerent ac cumularent, atq inter ea Supremum gradum dignitatis obtinuisse Pascha. Speciatim autem id attendendum in Paschate sumto repræsentatam fuisse vim & potentiam omnium Sacrificiorum simul, quocunq tandem nomine censerentur, sive Holocausta forent, sive Piacularia pro Peccato, sive pro Delicto: in hoc enim Centrum veluti collineabant atq confluebant omnia, atq ita omnium Virtutem expiatoriam Pascha celebrantibus repræsentabant, & obsignabant: ac proptereaquoq Pascha per excellentiam meruit Sacramentum appellari. Accedit insuper,

γγ. Demonstratio ejusdem Veritatis, quod κατ᾽ ἐξοχὴν Pascha vocetur קָרְבָּן Jehovæ, Num. IX. 7. 13. Oblatio Sacra, et quidem in ea amplitudine & emphasi, quam ipsa inspecta uberius adhuc declarabunt.

δδ. Deniq quamvis in celebratione Paschatis Aegyptiaci, quum necdum Tabernaculum cum Altaribus staret, Sanguis Agni non potuit expergi ad Altare; tamen Altaris vicem tunc temporis sustinuisse censendi sunt postes ædium, & Superliminaria, quum ipsæ ædes Israëlitarum, tanquam Templa quædam Dei in media Aegypto extiterint, præsen-

tisse

præsentissimo ejus Numine plena & protecta, ut supra in emedullando nucleo nominis istius demonstratum. Quod autem Sacrario Dei postmodum instituto & erecto Sanguis ille ad Altare fuerit delatus et respersus, non tantum traditio docet; sed etiam diserta Sacræ autoritas 2 Chron. XXX. 16. XXXV. 11. unde simul liquet, omnia ita fuisse ordinata & disposita, ut mactatio cum requisita aspersione Sanguinis quam celerrime potuerit expediri etiam in maxima multitudine hominum atq Victimarum. Quod ut clarius pateseat, subjiciam ex Codice Talmudico פסחים Cap. V. §. 5. modum & processum illum: Pascha, inquiunt, ibi, mactatur in Atrio Templi tribus vicibus catenatim: intrabat prima Caterva, donec repletum esset totum Atrium, atq tunc portas claudebant. Buccinabant deinde, et vario sono Tubas inflabant. Sacerdotes stabant serie, & manibus suis tenebant pelves ex auro & argento. Erat ordo, qui omnia Vasa habebat argentea, & erat, qui omnia aurea. Tum ipse Israëlita mactat suam pecudem, Sacerdos excipit Sanguinem in suo vasculo, atq tradit adstanti, a quo vacuum vas recipit: atq ita quam celerrime cuncta peraguntur, multis manibus conjunctis, multis ordinibus directis. Quum excessisset Caterva prima, intrabat altera, eademq eodem modo expedita; et tertia intrabat, omnibus ad eandem rationem deproperatis. Ex quibus hoc saltem elucescit, non insuperabiles esse illas difficultates, quas supra motas vidimus ex nimis arcto spatio vel loci, vel temporis, præsertim si duas Vesperas, inter quas Pascha mactandum, ad sex horas extendamus. Nam secundum Rabbinos saltem prima Vespera incipit statim post meridiem, & postrema finitur in Solis occasu. Ergo præterea observandum,

unius

unius Agni complures fuisse Convivas, nunquam nimis, quam Decem, multo pluribus ad unum epulum admissis. pro Solenni mactatione autem & Sparsione Sanguinis unius tantum præsentia requirebatur in Atrio: ac proinde & hinc difficultas ex multitudine obmota non parum decrescit. Certe nulla alia dari potest ratio, cur ab omnibus Hierosolymas fuerit adscendendum, ut Pascha concelebrarent, nisi quod ejus epulatio foret Sacrificalis, intra moenia Sancta propterea festive obeunda, & initio facto a mensa Dei = Altari, libato ibi Sanguine, ut postmodum suis in Ædibus, tanquam Convivæ Dei in Sancta ejus Urbe et Sede accumberent, et honore pleni Sacerdotii fruerentur.

CAPUT X.

DE VOTIS

§. V.

Controversiosissima est Quæstio inter Philologos & Theologos multum agitata, necdum decisa, neq etiam facile decidenda ob tenebras, quibus argumentum hocce circumdatum. Intendimus Votum IEPHTÆ, de quo Cl. Auctor mentem suam exposuit §§. V. & VI. iis accedens, qui Filiam Iephtæ immolatam negant, vel potius, qui isti Voto devotationem Capitis humani inclusam fuisse, aut etiam includi potuisse pernegant. Unde tanc ultro prius illud consequatur necesse est. Ut materia Controversiæ

&c

& Rationes in utramq partem prudenter expendi queant, tria membra concipimus praesentis deductionis. I. Exhibebit argumenta pro Devotatione Capitis humani, et consequenter pro immolatione. II. Argumenta contraria sistet. III. Veterem devotationis ritum altius repetet, atq ejus vim ac religionem pro ratione istorum temporum illustrabit. Ad

I. Membrum quod spectat: Septem illud rationibus dabimus instructum. Ubi observamus

1. Votum Iephtaeum non posse concipi ordinarium & levioris momenti, sed extraordinarium et gravissimi ponderis ob grave illud discrimen, in quo respublica versabatur: ad incitas enim erant redacti Izraëlitae, & sub alienum reciderant jugum, ad quod depellendum Iephta processerat cum exigua manu, conflicturus cum exercitu copiosissimo. Nuncupat itaq Votum solenne, verbis conceptissimis. Hoc respondere debet mori rerum & gravitati periculi. In quibus Circumstantiis si nil aliud dixisset Imperator Izraëlis, quam quod mollior explicatio Verborum ei tribuit, ferme nil dixisset, atq exercitum suum, quem animare volebat maximo illo vinculo Religionis in se suscepto, ad indignationem potius commovisset, quam ad concertationem strenuissimam

2. Si Verba Voti inspiciamus, in oculos incurret, mentem Iephtae defixam fuisse in suam ipsius domum ac familiam, ex qua veluti Piaculum aliquod pro Caussa publica Deo offerebat, atq ad Victoriam tantam redimendam consecrabat. Sic enim oculo illuc velut directo vovet: quum Dominus Ammonitas in manus meas tradiderit, tum erit, ut quod mihi obviam processurum sit e valvis domus meae, Iehovae sit.

Offeram illud in Holocaustum. Ambigi nequit, quin Piaculum aliquod publicum designetur et destinetur. Evidentissimum quoq; est, illud Piaculum injungi propriae Familiae, et Capiti ac Rectori carissimo. Deniq; manifestum esse potest attendenti, non Caput aliquod Pecudis intentum, sed Caput humanum, quia tam signanter dicitur, quod egredietur mihi obviam e valvis domus meae. Formula ista excludit in totum omnem bestiam, quia egredi obviam, semper infert Volun-
(.) tarium motum, non fortuitum, primo, secundo,
(..) quia adhibetur in laetitia et gratulatione, qua quis excipitur, et ad domum suam recipitur post longam vel periculosissimam absentiam: tertio hoc
(∴) ipsum insinuatur per egredi e valvis domus meae, ubi pingitur quasi domus aperta reclusis valvis, Dominum suum cum gaudio recepturas. Videatur pro isto usu nostrae phraseos, Exod. IV. 14. XVIII. 7. 1 Sam. XXX. 21. nullo exemplo in contrarium eundo, nam quod Iob. XXXIX. 24. de equo bellatore, eum egredi in occursum praelii, magis pro nobis militat, quam adversus nos: quia ibi equus per Προσωποποιΐαν imbuitur persona, sensu quasi praedita: subnectitur enim, et dicit: evax! laetabundus videlicet, atq; prae gaudio exclamans et exsultans, quod in praelium sit iturus. Idem hocce quarto
(::) evincitur, quia signantissime dictum fuit, repetito eodem verbo: exiens, qui exierit e valvis domus meae ubi jam voluntarius ille exitus et impetus evidenter elucet. Unde ad
3. Argumentum jam progredimur, nullam in voto Jephtae ansam relinqui ad cogitandum, bimembre illud fuisse,

quemadmodum mollior explicatio supponit. Hoc ex Verbis ipsis ut distinctius adhuc reluceat, ea in sua serie resumemus. ℣. 30. sic incipitur: et vovit Iephta votum Iehovæ, dixitq; Si dando dederis Ammonitas in manum meam, tum erit, ut exiens, quod, vel qui, exierit ex valvis domus meæ in occursum mei, quum rediero cum pace ex filiis Ammonis, ut sit illud Iehovæ, & immolem illud Holocaustum. Apparet, phrasin, esse Iehovæ i. consecrari, gravissimam inferre devotationem illam, per quam aliquid consecrabatur in Piaculum publice devotum, ad publicam Calamitatem avertendam sua nece, quia eodem halitu subnectitur, et immolabo illud Holocaustum: si enim ibi Vocula ו resolvatur in aut, aut immolabo illud in Holocaustum, resolvitur Votum universum, et nihil omnino vovebitur, quod magnitudini & moli rerum respondeat. Ne jam dicam, Universam phrasin omnem relationem bestiarum excludere, quemadmodum modo deductum.

4. Observari debet, quum ℣. 30. dicitur: vovit Iephta votum adhibito vocabulo נדר, illud omnino inferre strictius ita dictum חֵרֶם, quod summam religionem habebat, atq; necessitatem apportabat necis Piacularis: est enim prius נדר generale quidem, etiam Vota complexus, quæ redimi possent; sed si diserte adderetur, Caput devotum fore immolandum; nulla amplius redemtio relicta erat ex Sanctione Lev. XXVII. 28. tantummodo omnis devotio, quam devoverit quisquam Iehovæ, ex omnibus, quæ ejus sunt, ab homine, & bestia, & agro possessionis ejus, non redimetur, neq; vindicabitur: omnis devotio Sanctitas Sanctitatum est Iehovæ, devotio omnis, quæ devovebitur ab aliquo homine, non redimetur, morte morietur.

Et sane

Et sane tremenda Sanctio, cujus vincula gravissima ma-
gnas pariunt varietates interpretationum, dum rigorem hu-
jus Legis multi conantur emollire. Discussio ista remitti-
tur membro nostro 2. Nunc tantum hic subjungimus,
hocce חרם esse Speciem, sub genere נדר comprehensam,
ut ex eodem illo Cap. Lev. liquet, ac proinde par non
erat, ut alio vocabulo uteretur Scriptor נדר vovit.
Minus quadrasset חרם, quia illud dirum & rigidum
per ipsa Verba Voti demum erat exprimendum: quemadmo-
dum si Latine ibi adhiberemus; devovit Jephta devotio-
nem, & deinde omnia illa Verba subjungeremus, quae
devotationem demum offerrent, minus eleganter loquuti
esse censeremur, quum Oratio Latina ibi postulasset
vovit votum, materia ipsa devotationem deinde sug-
gerente: quemadmodum a generali ad speciale descenditur.
5. Argumentum nascitur ex gravissima Conturbatione, qua
plane consternatus et dejectus fuit Jephta, quum Fili-
am sibi suam in primo agmine obviam habuisset cum
gratulatione. S. Historia tam Tragicam hic aperit Sce-
nam, tam graves commemorat Significationes Luctus
immensi, ut ambigi vix ac ne vix quidem queamus,
quin Votum hocce fuerit ex dirissimis illis, quae Capi-
ti devoto necessitatem Necis imponebat. Concipi nequit,
Virum gravem, Imperatorem Exercitus, Victorem Hostium,
qui Victoriam summo pretio voluerit redemtam, Patriae
ergo amantissimum, tantopere potuisse conturbari, si Fi-
lia in vivis remanere potuisset, et consecrari Domino
ad castissima ejus Ministeria obeunda. Excogitantur qui-
dem rationes desumtae ex desiderio Prolis. Sed hae adeo
leves in tam gravi Caussa, ut ne quidem consideratio-
nem ullam mereri videantur, nisi velimus Jephtam no-
bis repraesentare omni gravitate et prudentia destitutum,
qui Victoriam suam, ex maxima Merita, luctu vano &
indecoro polluisset. Eadem omnia

6. [illegible]

DE VOTO IEPHTAE.

6. Recurrunt in Persona Filiae, ejusq Responso prudenti ac religioso. Hoc spirat Amorem Dei, Amorem Patris, et Reipublicae simul, atq sentiendam praebet gravem necessitatem moriendi, qua se obstrictam percipiebat. *Fac mihi*, inquit, *quemadmodum exivit ex ore tuo*. Non nominat rem infaustam, sed innuit eo ipso diritatem ejusdem, quam se subire paratam ostendit. Sic non loquuta fuisset Virgo prudens & religiosa, si in simplici Consecratione Votum Patris constitisset, jussisset potius omnem procul dolorem facessere, tanquam & Patre, et se se indignum. Hoc verbulo insinuatum quivis facile poterit ampliare. Est in eodem Responso aliquid adhuc specialius, quod ad graviorem illam Consecrationem nos respicere cogat: nempe

—. Illud, *quemadmodum exivit ex ore tuo*, aliquid infert hac in serie minus prudens ac cogitatum, aliquid temerarium quinimo, quod saltem is, qui Votum fecerat, jam nollet vovisse. Sic enim ipse Iephta hanc suam mentem indicaverat, *non possum retractare*, gravissima me religio tenet constrictum. Ex his nihil aliud concludi posse videtur, quam id, quod cum maxime prae manibus est, insolubilem fuisse obligationem moriendi.

=. Hancquoq pressius adhuc inculcat, quod ita pergat Virgo religiosa: *tantummodo desiste a me, ut Virginitatem meam defleam*, etc. Notetur distincte, *desiste a me*, quod iterum infert aliquid grave ac dirum, non sane quadrans in id, quod alii, qui contrariam sententiam propugnant, contendunt. Hi interim magnum sibi praesidium arripiunt ex phrasi; *ut Virginitatem meam defleam*, inde exsculpentes, Conditionem Voti fuisse restrictam ad observationem perpetuae Virginitatis, plane contra naturam phraseos, atq omnes etiam Circumstantias, in quibus haec phrasis adhibita. Hoc iterum paullo enucleatius adhuc pervincendum.

Quam

• Quum spatium impetrare cupit duorum mensium, antequam Votum exsequutioni detur; eo ipso jam ad longe aliud perpellimur: et quidem

•• Ad deflendam Virginitatem, arguit, elapso illo spatio omnino fuisse moriendum: alias enim liberrimum habuisset otium ad lacrymas quam largissime per totam vitam profundendas, si tam dura ipsi visa fuisset Conditio servandæ Virginitatis. Talis sane explicatio quantumvis coloretur, plane repugnat et Virtuti, et religiosæ magnanimitati, quæ in hac Virgine undiq. relucet, et quo nobis hac in Historia depingitur, tanquam illustre exemplum fortitudinis invictæ, atq. pro Patria immolari paratæ. Aio,

∴ Deflere Virginitatem suam non esse formulam aptam isti sensui, quem volunt V. DD. sed omnino inferre id, quo nostra collineat discussio: quod nempe florentissima Virgo coacta fuerit violentam necem subire. Virginitas ibi signat florem et honorem intactæ quidem adhuc, sed tamen Toro maturæ, quæ ita subito debuerit exstingui. Attendendum præterea.

≡. Quod filia Jephtæ a Patre petierit, ut cum Virginibus sociis liceret discedere ad montes, ad Virginitatem deflendam. Unde iterum inferimus illud dirum & grave, cum miserabili comploratione Tori Virginei conjunctum. Quæ hic afferuntur a V. DD. aliud tenentibus, valde sunt frigida. Res ipsa satis clamat, fuisse Luctum funebrem, et planctum solennem, quo turpissimum luneæ casum voluerit deplorare, et quidem in locis solis ac desertis, ubi immenso dolori libere possit indulgeri.

7. Argumentum majus et decretorium suppeditatur ex ipsis illis

verbis

Verbis, in quibus maximum fundamentum & firmamentum consistit partis contrariæ, quod V. H. hæc tandem Clausula apponatur: et fecit deinde Jephta ipsi, vel in ea, id, quod voverat, atque ipsa Virum non cognovit. Si quis primam sequatur speciem istius orationis, concludet, nil esse liquidius, quam sub finem nunc designari, quorsum Votum Jephtæ tetenderit. Sed si universam seriem narrationis respiciat, deprehendet, Sacrum Historicum nihil minus intendisse, atq esse hunc merum Hebraismum, qui nihil aliud adferat, quam quod in præcedenti etiam phrasi vidimus, in qua deflere Virginitatem suam, suam valebat, in primo flore et honore Virgineo debere exstingui. Ad eam rationem et hic convertendum: fecitq ei Jephta, quod voverat, quum esset matura, sed intacta adhuc Virgo. Hoc quilibet sentit, exaggerationi malorum subservire, & tristem scenam convenientissima Clausula finire. Hebraismus ille omni dubitationi exemtus ex Genes. XXIV. 16. ubi habemus: eratq Puella ista formosa admodum, et Virgo, quæ Virum necdum cognoverat. Ubi postrema illa videri possent superflua, neutiquam tamen sunt: nam dignitatem hoc addit, atq amplificat hoc, quod indicavi, plenis nubilem esse annis, sed hactenus illibatam. Ergo ita concluditur Historia Jephtæ: exsequutus est in ea Votum suum, quæ jam plenis nubilis annis esset et nobilis Virgo. Quod jam nemo non agnoscit nostro Sensui unice esse accommodatum, quum ad contrarium sensum id non solum langveat, sed & aliquid absurdum & repugnans secum trahat. Illud enim, non cognovit Virum, haud erat sub arbitrio Patris, sed ipsius Virginis. Jam vero non narrat Sacer Textus aliud quidquam, quam quod in Patris erat

manu

manu, & per quod dirum suum Votum fuit ex-
sequutus. Subnectemus
8. Adhuc argtum, unde et Pars contraria solet argtari.
V. 40. Scil. dicitur, morem fuisse in Israële institu-
tum, ut quotannis Filiæ Israëlitidis conveniant
לְתַנּוֹת, est Infinit. in Pihhel, a radice תנה, quæ
est ex rarioribus. Unde, ut fit, magna dissensio Inter-
pretum. Multi pro sua hypothesi hinc exsculpserunt
ad confabulandum cum filia Jephtæ: alii ad lau-
dandam filiam. Utrumq valde dilutum, si referatur
ad laudem, vel Solatium vivæ impertitum: quasi
vero vel materia foret Consolationis tanto Studio
adhibendæ a toto Choro Virginum Israëlitiarum,
vel Laudationis, qua viventem animarent, ut in illo
Statu perseveraret. Sunt hæc precaria non tan-
tum, sed & absona et indigna honore hujus Vir-
ginis, quæ si Deo consecrata, servisset in functio-
nibus religiosissimis, nihil utiq Calamitatis fuisset
passa, quæ publice hoc pacto deberet sustentari
& suffulciri. Omnia clamant, calamitosum fu-
isse exitum mortis, quam in Virgine tam illustri
merito plangere, complorare, celebrare, potuerunt
Chori Virginei. Huc tendit Vocabulum חֹק Statutum
non ad breve aliquod tempus sese extendens, sed
Secula ipsa complectens. Eodemquoq collineat ip-
sum verbum תַנּוֹת, quod quidem Chaldæus Para-
phrastes, quem plures sequuti, reddidit: ad lugen-
dam filiam Jephtæ: sed majore fundamento
converti poterit; ad concelebrandam, tanquam
quæ immortali Laude mereretur honestari, quod
tam religioso et firmo animo pro Patria sese
immolandam obtulerit, quantumvis acerbissima
ista mors non sine lacrymis possset commemorari.
Tale

Tale quid omnino exigit tota Formula: extitit Statutum in Israële, ut hoc fieret, i.e. Solennitas per Cursum Seculorum concelebranda.

II. Pertextis argumentis ab una parte militantibus, lustranda quoque acies adversa. Argumentatur

1. Clar. Autor noster in G. Iephtam credere debuisse, Votum suum Deo gratum fore. tam vero alienissimum esse a Sana Ratione, alienius adhuc a Fide et Pietate Viri, ut tale quid Deo placere posse sibi persvaserit. Ad hoc reponimus, Extraordinariam devotationem pro Caussa ac re publica, quin pro Caussa ipsius Dei, ac Religione, susceptam, talem facile videri potuisse Imperatori grave Bellum, unde Salus omnium penderet, inituro: non enim post longam & seriam Deliberationem, post talis Voti examen accuratissimum, & ad trutinam Sanctuarii exactum, Verba illa concepit Iephta; sed in extremo constitutus discrimine rerum: quando illa opinio quam facillime illi potuit surrepere, quemadmodum in 1. et 2. nostro arg^to. deductum fuit, quod ducebatur ab amore illo Patriae, quo flagrabat Iephta, et per quem se se abripi sivit. Ad concipiendum aliquod Votum, quod & in more illorum temporum erat fundatum, & per Sanctionem quoque Mosaicam in Casibus extraordinariis videbatur comprobatum, quemadmodum in 3. nostro membro ostendetur.

2. Producitur exemplum Consecrationis ad perpetuam Virginitatem, Num. XXXI. 35. ubi legimus de Captivis Mulieribus Midianitarum, alias fuisse occisas, alias, quae non cognovissent Concubitum Viri, retentas in Vita, et datas Sacerdotibus in Servitutem. Sed apparet, plus ex illa Historia elici, quam par est: non apparet quippe, eas servas consecratas fuisse ad Virginitatem, sed dicitur tantum, illis fuisse parcitum, quae adhuc erant Virgines

puellae

puellae, parvulae, innocentes, ob rationem non unam, in quas insistere nihil necesse erit. Concludimus potius, non bene suffultam stare hypothesin, quae tali tibicine debuerit suffulciri, atque fidenter negamus, ullum Vestigium in Republica et Antiquitate Hebraea dari Consecrationis ad Virginitatem, quemadmodum nec Moses vel minimum de ea sanxit.

3. Instatur, per Votum חֵרֶם sive Anathema non licuisse Israëlitis quemquam Israëlitam devovere. Extat sane talis Sanctio, sed non apud Mosen, verum in Talmude, apud Iudaeos quidem majoris adhuc auctoritatis, quam ipsa Lex, sed apud Xtianos propterea neutiquam recipiendum, quia sic Magistris illis visum placitumque. Apparet scil. eos hic pro arbitrio pronunciasse. Verba sic se habent in
„ Cod. de Votis Cap. V. §. 4. aliquis potest de armen-
„ to suo devovere, quidquid habuerit, itemque de Servis
„ & Servabus. Si quis vero Filium aut Filiam devo-
„ verit, illegitimum est votum: nemo enim devovere pot-
„ est, quod suum non est. Fundant ergo opinionem suam in ista Lege, Lev. XXVII. 28. Si quis devotaverit vel bestiam, vel hominem, vel hominem, vel agrum, ex omnibus, quae ejus sunt, etc. quasi jam eo ipso homines liberi excluderentur, quin imo Servile etiam genus Hebraeum esset exclusum, quippe quorum possessio erat restricta ad certum tempus, non absoluta. Sunt haec subtiles disputationes & cavillationes, de quibus non videtur Moses in capitali sua Sanctione cogitasse, quum alias pressius & expressius hoc ipsum insinuare potuisset. Quod autem illi hic de Servili genere Cananaeo potissimum agi autument, adhuc alienius est: nam illa gens per ipsum Deum

fuerat

fuerat devotata, atq interdicioni addicta. Ut proinde nihil aliud, quam exsequutores forent Divini Interdicti, de quo Moses neutiquam ibi cogitavit, quum introducat Hebræum libero & religioso motu animi aliquid de omnibus suis rebus, quas possidebat, Deo devoventem, et severiore hocce Vinculo consecrantem.

4. Vehementer urgetur grave silentium, quod agitur de statu immolationis Filiæ Jephtæ, ubi, quando, & per quos, illa sit peracta. Hoc autem adeo non labefactat priorem sententiam, ut potius eandem constabiliat. np. non conveniebat, ut Scena tam atrox aperiretur. Sufficiebat dira Clausula: effecitq Iephta, quod voverat. Iam vero voverat immolationem Holocausti, & quidem Humani, in Persona ipsi cara, in pignore Domestico, quemadmodum superius est deductum. Qui jam alterius aliquid exigit, quod exsequutionem spectet, nimis sane curiosus est. Tuto tamen asseverare possumus, istam immolationem non factam ad Altare Tabernaculi, non factamquoq a Sacerdotibus. Facile enim id largimur, hincquoq argumenta ducentibus in contrarium, id abhorrere ab omni re et religione Tabernaculi. Sed quemadmodum extraordinarium erat hocce Votum, itaquoq extraordinario more exsequutioni mandatum, sive a Patre ipso, ut nonnulli autumant, sive ejusdem imperio per Ministros ipsi Officio delegatos, & quidem in Loco Solitario extra turbam, quemadmodum in talibus Sacrificiis Piacularibus fieri solebat. Habet enim, ut sæpe insinuatum ante, universa hæce Devotio rationem & relationem Piaculi publici. Sic

A. Defluimus ad Ultimum nostrum membrum, in quo promisimus clariorem Conspectum Devotionis, qua Mala publica in Caput alterius devolvebantur, & per quam potissimum Imperatores solebant, vel semet devovere, suumq Caput præsentissimæ neci obligare; vel etiam carissimum aliquod pignus

e sua

e sua Familia ad necem Piacularem conspirare. Tota Antiquitas imbuta fuit ista Opinione, nihil illustrius, nihil amantius, pro Republica praestari potuisse. Ut mirum non foret, si & Iephta, quantumvis pius, eundem Heroismum in Casu extraordinario sibi permissum crediderit: non, quod hoc approbemus, sed nobis nihil aliud examinandum, quam quod ipse sibi potuit persvadere, saltem pro isto anxio tempore, & discrimine ultimo rerum, quod ipsemet satis innuit, quum tam dolenter Filiae dicit: Verbum ex ore meo exivit, et non possum retractare.

Notissimae sunt in Romana Historia devotiones proprii Capitis in Imperatoribus Deciis, Patre, Filio & Nepote, quorum propterea immortalis floruit gloria. Nobilitatum quoq factum Curtii, semet in Piaculum offerentis, & in Voraginem insilientis. Specimen simillimum nostrae Historiae habemus apud Servium ad Aeneid. II. v. 264. ubi narrat, Cretensium Regem, Idomeneum, quum Patriam repeteret, & tempestate vexaretur, Neptuno devovisse id, quod primum ei occurreret. Occurrisse autem ei Filium, eumq immolatum fuisse. Affine quoq et illud apud Euripidem, ubi Parens ad Mala Civitatis avertenda, sic Filiam suam ultro offert: Educo Cives, Victimam hanc abducite, ut salva sit, Victrixq nostra Respublica, etc. Talium plena Vetustas. In Sacris quoq exemplum notabile 2 Reg. III. 27. ubi Rex Moabitarum dicitur Filium suum primogenitum immolasse in Holocaustum super ipsis moenibus Civitatis, ad Salutem publicam videl. isto Piaculo redimendam. Reponat aliquis, hunc fuisse Moabitam, Ethnicum. Sed hoc non est Quaestio: res facti agitur, non Iuris: disquiritur, quid Iephta fecerit, non, quo iure fecerit. Peccaverit in Voto concipiendo, quod ipse agnoscit: illud tamen tale erat,

ut non

ut non posset retractari, non posset ulla ratione redimi, secundum disertissimam Sanctionem, Lev. XXVII. 28, 29. quam nunc pressius expendere necesse erit, quia inde Quæstio hæc dependet. Verba sic connectuntur diligenter et sigillatim attendenda: Omnis devotatio חֵרֶם, quam יַחֲרִם devotabit aliquis Iehovæ מִכָּל אֲשֶׁר לוֹ ex universitate, quæ ipsi, ex homine et bestia, & ex agro possessionis ejus, non vendetur, nec redimetur, nam omnis devotatio est Sanctitas Sanctitatum Iehovæ. Sequitur ℣. 29. resumtio, novum imprimens Signaculum isti rigidiori Sanctioni: Omnis devotatio, quæ devotabitur מִן הָאָדָם non redimetur lytro, omnino morte afficietur. Nimis audacter insertum in Versionem Iunii & Tremellii: omnis bestia devota, quæ devovebitur ab homine. Id enim universæ Seriei repugnat, atq omnem vim Constructionis Hebraicæ, æque ac Sanctionis Mosaicæ, enervat. Si enim ℣. praecedens inspiciatur, apparebit, Præpositionem מִן constituere Subjectum, quod devotatum, vel ex bestiis, vel ex hominibus, vel ex agris possessionum, quum tamen circa homines forte aliquid Scrupuli aut dubitationis suboriri potuisset: in idem Subjectum instatur, & peculiari adhuc Sanctione insolubilis ille nexus adstringitur, ac proinde omnino vertendum iterum: omne anathema, quod devotatum fuerit ex homine, sive ex genere hominum, &c. Hoc plurimi Interpretes agnoscunt, sed ut rigorem Legis emolliant, eandem restringunt ad gentes Cananæas partim, partim ad servos exteros tantum, & non Hebræos, quum tamen nulla caussa isti restrictioni porrigatur. Nisi itaq torquere velimus id, quod clare & distincte sancitum, omnino agnoscendum esse videtur, agi hic de aliqua Solenni Consecratione, vel Devotatione, sub vinculo חֵרֶם citra exceptionem, qua quis graveus ob Caussam tale Votum suscipiens illud etiam exsequutioni mandare

teneretur. Excludimus proinde, quod nonnulli etiam hic inclusum vellent, temerarias imprecationes et exsecrationes, quibus Domini & forte Capita suorum onerarent, atq necis addicerent. Excludimus quoq ipsam Dei approbationem, vel in graviore aliqua Caussa: nam multa per Mosen Sancita sunt, nec tamen Divinitus approbata. ex. gr. Sanctiones de Divortio neutiquam evincunt, Deum illud approbasse, atq legitimum censuisse, secundum Lus Naturae; sed morem inolitum freenis quodammodo temperavit, propter duritiem Cordis eorum, ut Dominus testatur. Ad eam rationem concipimus frenum adhibitum mori concipiendorum anathematum, ad ea quantumpote compescenda & constringenda ne homines cum Religione Sanctissima luderent, sed scirent se insolubiliter obligari, quando illas processissent. Exemplo res clarior fiet. Legimus 1 Sam. XIV. Saulum, quum Philisteos fudisset, atq fugatos conaretur delere, injecisse anathemas in eum, qui aliquid gustaret ante occasum Solis. Ionathan rei ignarus aliquantulum mellis degustat. Contrahitur inde Reatus, et Deus ob violatam Religionem Responsa negat. Quaeritur ergo Reus, et Sortibus jactis deprehenditur Ionathan, quem propterea Pater pronunciat moriturum. Non erat sane legitima, nedum prudens ac religiosa illa devotatio Sauli, quae plus Victoriae nocuit, quam ut eam adjuvaret. Quia tamen istum in finem concepta erat, obligatum se credidit Saulus ad eam exsequendam, quantumvis Ionathan Edictum illud non audiisset. Quod si ad aures ejus pervenisset, sine ullo dubio debuisset mori, neq potuisset eum Populus ex manu Patris ullo praetextu eripere. Quod jam nobis satis demonstrat, quorsum ista Sanctio collinearet, ne scil. hoc genus Votorum, vel imprudenter, vel fervide susciperentur atq ita dignitas et majestas Religionis constabiliretur. Illa autem

De Voto Iephtæ.


Ex illa autem Historia Jonathanis unum alterumve Corollarium nectere datur, quod materiam ulterius illustrare queat.

I. Est, quod illa Devotatio Sauli non infringatur eo nomine, quasi fuisset illegitima, vel quasi non obligasset universum Populum: constat enim ex tota Serie, si quis Interdictum illud violasset, eum mortis reum futurum fuisse.

II. Constatque, Jonathanem vel sic morti fuisse tradendum, nisi ille fuisset auctor Victoriæ insignis. Liquet etiam,

III. Populum hac in parte extorsisse Regi illud juris, per quod rigide Edictum suum Sancire debuisset, si res ipsius arbitrio relicta fuisset. Potuisset enimvero ita Populusque egisse in Caussa Filiæ Jephtæ, sed non eadem erant Circumstantiæ, non idem prætextus: nam Victoria Jephtæ per hoc Piaculum erat empta veluti, ac propterea illius Solvendi necessitas æque Populo, ac Imperatori Exercitus, incumbebat, secundum istorum temporum Ritus ac Cærimonias. Unde tamen neutiquam, ut diximus, id Consequentiæ trahi potest, Deum talia comprobavisse, nedum instituisse, aut secundum principia Sanctissimæ Religionis observanda constituisse. Id tantummodo cautum, ne cum Religione Sacro-Sancta luderetur, atque Vota vel temere, vel fervide nimis suscepta, majori adhuc temeritate violarentur, atque ita lata fenestra omni profanationi aperiretur, secundum Sententiam in Prov. xx. Laqueus est homini, ut ילע קדש exclamet, Sanctum esto, i.e. æstuanti Corde & ore pronunciet, consecratum et devotum sit Deo, et tum post Vota inquirere, i.e. cavillari, effugia quærere, infringere vim Devotationis, Coloribus & prætextibus undique arreptis.

LIBER IV.



LIBER IV.

CAPUT IV.

§. I.

Appellationem Paschatis sub examen misimus ad LIB. III. ibiq notionem ejus fiximus in amplissima Caritate, et lautissima Laetitia, Convivali: qua quidem potentia, ex Origine radicis פסח redundante, nihil concumulatius concipi possit, sive Spectemus Festum hocce ratione Veteris Oeconomiae, sive Etiam Novi Testamenti. Insistemus nunc porro illustrandis praecipuis Caerimoniis, quibus Pascha hocce fuit concelebratum, ut inde ejusdemquoq denominationis vis et efficacia, se luculentius pandat.

§. VI.

Incipimus a Sanctione circa Panes infermentatos, qui per Septiduum erant comedendi. Nomen מַצּוֹת a radice מצץ designat puras et Sinceras Placentas, quibus vel nihil acoris immistum, nihil fermenti inspersum. Panum comestio praescribitur disertissime Exod. XII. 15. Septem dies azymos Panes comedetis: quod v. 18. repetitur; circumscriptius adhuc: a die decimoquarto Vespertino usq ad vigesimum primum comedetis panes infermentatos. Doctores Talmudici tamen adversus tam expressas Sanctiones insurgere ausi fuerunt, atq a sua parte decreverunt; nefas quidem fuisse durante isto Spatio fermentatum sumere Panem, neutiquam tamen obligatos fuisse Israëlitas ad infermentatum Panem edendum, nisi quum ipsum Agnum Paschalem ad primam Vesperam comederent, atq integrum omnibus fuisse, vel fruges tostas, Oryzam, Panicum, vel alia, loco Panis substituere. Hanc esse meram Cavillationem & elusionem istius Legis, inspectio Locorum

ipsa demonstrat. Sic solent: scil. qui ultra Verbum scriptum se sapere jactitant, et Legem Oralem, et Traditionibus contextam jactant, Mandata disertim expressa enervare, et suas Praeceptiones superstitiosas in locum substituere, quales sunt Talmudicae illae Sanctiones, de fermento ex aedibus eliminando, quae extant in Codice Pesachim Cap. I. ubi ita statuitur: Decimo quarto die Mensis Nisan, dum adhuc lucescit, fermentum ad lucem Candelae in aedibus ubiq. vestigandum, omnibus angulis inspectis et excussis. Hanc accurationem non ex Mose habent, sed exsculpunt ex Zeph. I. 12. ubi nihil minus attenditur, quum dicitur: Isto die pervestigabo Hierosolymas Lucernis. Quilibet cernit, alium esse locum, aliam materiam. Sed Magistri Traditionum parum curant, contenti asseverasse, hanc esse Traditionem e monte Sinai. Addiderunt recitandam, dum ita fermentum ad Candelas perquireretur, hancce formulam: Benedictus Deus Israëlis, etc! qui nos Sanctificasti tuis Praeceptis, et fermentum ex aedibus eliminare jussisti. Etiam alia adhuc formula Opere finito adjicienda erat: Omne fermentum, quod inveni, et non inveni, quod ejeci, et non ejeci, nullum esto, et sit mihi tanquam pulvis Terrae.. De his, similibusq. minutiis, quas ἐθελοθρησκεία invexit, et quae etiamnum in caeca Gente praecipuam partem constituunt Religionis Paschalis, adiri poterit praesertim Buxtorfius in Synagoga Jud. Cap. XVII. Nos oculos potius convertemus in Spiritualem illam Sapientiam, ad quam collineabatur per esum Panis infermentati. Ubi

2. Quoad Oeconomiam V. Testamenti spectata fuit liberatio quam celerima ex Aegypto, et exitus tam festinatus, ut non potuerit fermento Panis imbui. Hoc innuitur Exod. XII. 8. additur Deut. XVI. 3. hunc esse Panem afflictionis, hoc est, Necessitatis graviter urgentis. Per haec autem insinuabatur, foederatos Dei

ex Cap

ex Captivitate Peccati vindicatos, omnia debere relinquere quam celerrime, quibus hactenus assueverant & adhæserant, ut in novitatem Vitæ integrioris traducantur. Hoc autem

2. Nobis ansam porrigit ad interiorem illam Virtutem & potentiam hujus Cærimoniæ, quæ sane sub Meliore Oeconomia se vel maxime exerit, ut inculcatur ab Aplo. 1 Cor. V. 8. sqq. Pascha pro nobis immolatum est Xtus: itaq celebremus festum non in fermento vetere, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, etc. Scil. fermentum Emblematico Stylo se se præbet ad omne genus Vitiorum, altius penetrantium, et totum hominem pervadentium, labe cuncta corripiente ac corrumpente. Speciatim, figuram exhibet Doctrinæ vanæ, et hominem vano tumore inflantis, Matt. XVI. 6. nec non, quæ inde ultro redundat, Hypocryseos, et tumidissimæ illius inanitatis ad quam perducit omnis vana & falsa Doctrina, qualis tempore Xti erat illa Pharisæorum, Luc. XII. 1. quæ sibi justitiam propriam arrogabat, repudiata Justitia Messiæ, & Agni illius Paschalis, qui solus omnem pro nobis justitiam implere, & præstare debebat. Spiritualis hæcce Superbia vel maxime scil. procul habenda est ab omnibus illis, qui Sigillo hocce Sacramentali Foederis Gratiæ cupiunt obsignari per Redemtionem, quæ Agno Dei impetrata sibi & applicata concelebratur. Plura jam addere opus non erit, quod supra hanc materiam clariore in luce collocaverimus, atq etiam infra adhuc fimus collocaturi.

§. X.

Magna & olim, & nunc, fuit Quæstio, de tempore, quo Xtus Pascha celebraverit: eumne cum reliquis Judæis diem observaverit, an alium? Quatuor diversæ sunt opiniones.

א. Multorum Veterum, qui Xtum, ut Legis Dominum, diem Lege finitum prævertisse statuunt, atq 13tio die Mensis Nisan suum Pascha celebrasse. Græca potissimum Ecclesia hoc tenuit, præsertim ab eo tempore, quo lis exarserat cum Latina Ecclesia de Pane fermentato, vel infermentato, adhibendo in Cœna Paschali. Græcis pro fermentato Pane contendentibus, atq id ipsum adstruentibus ex eo, quod Dominus diem Azymorum anticipasset. Quæ sane argumentatio violenta admodum. Quum si vel concederetur ista anticipatio, tamen neutiquam consequeretur, tantam Cerimoniæ Paschatis sanctionem a Domino fuisse prætermissam. Sed ista opinio jam dudum explosa, ne quidem in Censum venire amplius meretur.

ב. Est sententia eorum, qui arbitrantur, Dominum quidem tempore præstitato suum Pascha peregisse. Sed Iudæos tunc tempestatis illud 15to die demum Mensis concelebrasse, et quidem ad evitandum concursum duarum Festivitatum, sive Feriarum, nec np. Festum Azymorum in Veneris diem incideret, atq mox a Sabbatho exciperetur. Plurimi

ג. Decernunt, Xtum uno eodemq die Pascha cum Iudæis comedisse. Hocce par oppositum Sententiarum nobis discutiendum ante, quam ad 7. opinionem accedamus, quæ conciliandis locis inter se pugnantibus adinventa multam habet speciem, quamvis needum obtineat gradum Certitudinis requisitæ.

A. Pro uno eodemq die, ut inde exordiamur, militat locus

α. Marc. XIV. 12. primo die Azymorum, quum Pascha mactabant: Impersonaliter, ἔθυον Iudæi scil. pro quo Lucas habet: venerat primus dies Azymorum, quo ἔδει ἔθυεσθαι, oportebat mactari Pascha. Inde liquet, universam Gentem istoquoq die eadem solennia suscepisse neque diem posterum expectasse.

β. Magnum robur & firmamentum huic priori addit, universa Cerimonia Paschalis. Non potuit scil. Agnus rite mactari, nisi in Atrio Templi, ut patet ex Deut. XVI. 5,6. Ratio apertissima: erat enim Sacrificium aeque ac Sacramentum, ut superius ad LIB. III. adstruximus. Non potuit ergo Dominus alium diem sibi privatum indicare, sed omnino illum publicum obire debuit, quo omnes Sacerdotes in Atrio Templi huic Solennitati vacabant, quemadmodum ibidemque declaratum est, remotis difficultatibus, quae obmovebantur a nonnullis.

δ. Pugnatur argumento sic satis speciosa, quod Iudaei odio Iti flagrantes inde avidissime occasionem captassent Calumniae, si alium celebrando Paschati diem sumsisset, quam eum, quem universa Gens concelebrabat. Et enimvero haec Acies, ut videtur, fortissima et invicta. In

B. Altera tamen Acie non minus roboris consistere reperietur, si eam lustraverimus. Partim attigit Cl. Auct. §. XI. ubi

a. Principe Loco ponitur illud Ioh. XIII. 1. ubi Dominus dicitur, Coenam Paschalem suscepisse πρὸ τῆς ἑορτῆς. Vim hujus argumenti infringere conantur V. D. diversae. In §. nostra hae Responsiones attinguntur, quae tamen dilutiores sunt, quam ut vim argumenti possint infringere. Atque omnino hinc confici posse videtur, Iudaeos tunc temporis Pascha suum celebrasse sequenti demum die ob rationes deinde indicandas. Hanc autem A. Opinionem validius adhuc confirmat

b. Argumentum Ioh. XVIII. 28. ubi dicitur, Iudaeos noluisse ingredi in Praetorium, ne pollueentur, quod Pascha ipsis esset comedendum. Ergo necdum comederant illud, sed die decimo quinto demum id praestiterunt. Ex-

cept.

Exceptiones, quas Clarus in S. nostra tetigit Autor, iterum nimis sunt tenues & dilutae. Ac proinde iis refutandis haud insistemus. Palmarium

c. Pro hac Caussa Ioh. XIX. 14. ubi quum Pilatus Xtum jam Virgis caesum & laceratum produxisset in publicum dicitur fuisse παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Responsio, quae in S. nostra subjicitur, debilior tamen. Praesertim quod

d. Eo idem adhuc insinuetur Ioh. XIX. 31. ne Corpora in Cruce manerent, erat enim παρασκευή, & magna erat illius Sabbathi Sanctitas propter festivitatem ejus. Duplicatam, primo die Azymorum, qui festus erat, in festum Sabbathi incidente. Accedit,

e. Quod Matt. XXVI. 5. noluerint Pharisaei Xtum Crucifigi ἐν τῇ ἑορτῇ in ipsa festivitate Paschatis, ne tumultus fieret. Ergo illi sequenti demum die festivitatem istam susceperunt. Non omittendum quoque,

f. Quodque Iudaei omnes eodem die cum Xto Pascha concelebrassent, aperte Legem Mosaicam violassent in obeundis multis, quae secundum Legem obiri non potuissent. Erat enim primus ille dies festus et Sacer, in quo ab omni opere Servili abstinendum, ab omni ministerio etiam cessandum. Ac proinde nec Hostes Domini exequi potuissent ea, quae ad Crucifixionem pertinebant, neque Amicique Officia illa, quae praestiterunt implere potuissent in mortuo ungendo ac sepeliendo.

Cuncta haec supra dubitationis aleam videntur collocare, alio die Xtum, alio Pharisaeos Pascha obiisse. Sed jam Quaestio suboritur difficilior, qua ratione id accidere potuerit? Ubi multi multa excogitarunt. Commod

DE TEMPORE PASCHATIS.

Commodissima autem via haec, quam cum aliis Clariss. Ikenius inivit, Pascha tunc tempestatis celebratum fuisse duobus diebus continuis, decimo quarto, & decimo quinto Mensis Nisan. Decimo quarto quidem ad litteram Legis, et strictum ejus rigorem ab iis, quibus id placeret; decimo quinto autem ad laxiorem usum, & morem Pharisaeorum, qui mensem incipiebant non ad Conjunctum Astronomicum; sed ad Lunae phasin, sive apparitionem visibilem, & multorum testimoniis solenniter comprobatam apud Synedrium Magnum. Hoc quum a littera Legis deflecteret, Karaei, qui eam strictius observabant, ad Calculum Astronomicum rationes potius suas dirigebant: idemque & Sadducaei factitasse videntur: certe non credibile est, quantumvis dominaretur inter Iudaeos factio Pharisaeorum, eos ausos fuisse id publico Edicto vetare, quod Lex Mosis diserte praeceperat: ac propterea liberumque fuit Domino nostro praecise finitum a Mose diem obire. Huc referri posse videtur, quod Luc. XXII. 7. exstat: quum venisset dies Azymorum, quo oportebat Pascha mactari, misit Petrum ac Ioannem, dicens: abite, praeparate nobis Pascha, &c. Illud ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι signantissime expressum, digito veluti demonstrat certum illud ac legitimum tempus per Mosen praefinitum, qui erat decimus quartus mensis Nisan, quem terminum Pharisaica novatio ampliaverat, cum ab apparitione ipsa novae Lunae suspenderet, & a solenni testificatione istius apparitionis per idoneos homines publice facta: per quem ritum superstitiosum sensim introductum videtur, ut duo plenique dies Paschati obeundo fuerint assignati, strictiore illo observato ab iis, qui Sectae Pharisaicae non obtemperabant hac in parte, qualia bene multa tunc tempestatis obtinebant ex conflictu inter Pharisaeos &

Karaeos, seu Traditionarios & Scripturarios. v. gr. Secundum
Pharisaeos Phylacteria erant gestanda in fronte & in manu
ab omnibus, qui Mosaicam religionem profitebantur. Sed haec
est Superstitiosa interpretatio Textuum Mosis, qui jubent
mandata Dei praeligari fronti & alligari manui, tanquam
ornamenta splendidissima. Hae Sanctiones haud dubie per
Figuram sunt expressae. Natio enim Pharisaica ibi praeter
sensum litteralem, atque phaleras illas inde fabricavit,
ostentationis vanissimae indices, ac propterea merito casti-
gatas a Domino Jesu publice, adjecto Vae in Capita
illorum, qui ita phylacteria sua amplificarent, atque in
iis proram & puppim religionis collocarent. Unde certissime
concludere datur, Dominum nostrum nunquam Phylacte-
ria gestavisse: quemadmodum nec reliquos saniores Judai-
smo, & reliquam novationem Pharisaicam abhorrentes.
Alia ejusdem indolis, in Evangeliis enotata, quae manifesto
demonstrant Pharisaismum, quantumvis regnaret in maxima
parte nationis, tamen non omnia subjugum suum redegisse:
ac propterea multa a multis eorum contra eorum Placita
fuisse observata. Unde Capitalis haecce tandem Quaestio
sè satis commode videtur posse decidi.

Est adhuc alia Hypothesis minus fundata, quam excogitavit Doctiss.
Harduinus, existimans, posterioribus temporibus obtinuisse, ut duo
continui dies per autoritatem Synedrii Magni dicati fue-
rint Paschati celebrando ob amplificatos fines Terrae Sanctae
& immensam multitudinem Proselytorum: quin imo eo pro-
greditur, ut distributionem quandam instituat horum dierum
& unum assignet Galilaeis, alterum Hierosolymitanis, reliquisque.
Sed nil fundamenti subest his Conjecturis, nec ullum hujus

novitatis

novitatis Vestigium vel in Talmude, vel alibi, consignatum. Ac proinde acquiescimus jam in opinione praecedente, quam nonnihil quoq adstruere videtur Marc. XIV. 12. quo loco utebanturquoq illi, qui 2. Opinionem fovent; & primo die Azymorum, quum Pascha mactabant, ὅτε τὸ Πάσχα ἔθυον dicebant ipsi Discipuli ejus; ubinam vis, ut abeuntes Pascha preparemus. Illa phrasis impersonaliter expressa subinnuit non id, quod solebant V.DD. omnes Judaei, etiam illi, qui Pharisaeorum Sectam sequebantur, sed potius idem illud, quod ex Luca modo videbamus, quum Pascha mactabant illi, qui legitimo tempore ad Sanctionem Mosaicam id dirigebant, non autem ad phasin Lunae, & ad Pharisaicam Constitutionem, inde Suspensam. Quae explicatio si obtineat, jam nulla restabit difficultas.

CAP. VI.

CAPUT VI.

DE INGRESSU PONTIFICIS IN SS. ANCTOR.

§. VI. & VIII.

Omnium Caerimoniarum Mosaicarum commune Centrum ac meditullium fuit Sanctum Sanctorum, omnis etiam ministerii Pontificalis & Sacerdotalis virtus illuc collineabat atque ibidem confluebat. Ingressus denique anniversarius cum Sanguine Expiationis pro universo Populo repraesentabat omnium Sacrificiorum et Expiationum potentiam exuberantissimam uno die consummatam & consignatam ad Thronum Gratiae. Propositum fuerat, illum Solennem ingressum Pontificalem etiam pro litterali adspectu paullo accuratius enucleare. Sed pro ratione temporis cogimur nunc litteram exponere, atque statim ad Spiritualem adspectum ac Sublimiorem accedere. Invaluit ferme ad omnes Opinio, & altissimis radicibus inroboravit, Solennitatem illam magnam luculentissima picturas praepinxisse gloriosam adscensionem Mediatoris nostri in Coelos, quum Victor ac debellator mortis triumphali pompa invectus est in Sedes aethereas, atque ad dextram Majestatis consedit. Opinionem hancce peperit, et aluit receptissima illa Hypothesis, secundum quam Atrium & Sanctum & Sanctum Sanctorum (ipsam Gloriam Coelestem, quin imo Coelum Supremum) ita solent digeri; ut Atrium repraesentaverit Ecclesiam Externam: Sanctum Ecclesiam Internam cum Statu Gratiae: Sanctum Sanctorum ipsam Gloriam Coelestem, quin imo

Coelum

Cœlum Supremum cum gloriosa Immortalitate. Accedit, quod id ipsum insinuare censebatur Paullus Heb IX. 11. 12. Xtus autem Pontifex futurorum bonorum quum advenisset semel ingressus est in loca Sanctissima per proprium Sanguinem, non autem hircorum et aquorum, æternam redemtionem inveniens. Hoc adscensum gloriosum sine ullo dubio innuere supponitur, denique confirmari putatur ex ℣. 24. ejusdem Cap. non enim ingressus est Xtus εἰς χειροποίητα ἅγια in manu facta Sancta, quæ erant antitypa verorum, sed εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν in ipsum Cœlum, ut nunc compareret ad faciem Dei pro nobis. Videtur Comparitio illa Pontificalis in Cœlis, qua nunc fungitur magnus noster Pontifex, ad dextram Patris, tam arcto connecti Vinculo cum ingressione εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, ut unum eundemque diem, unum eundemque actum designet. Ut proinde mirum non sit, si omnium ferme Theologorum calculus hancce Sententiam Sanxerit, et tanquam omni dubitationi exemptam inculcaverit. Sunt tamen gravissima rationum pondera ac momenta, quæ huic explicationi Subscribere vetant, atque aliam potius commodiorem viam inire jubent

I. Est, quod universa Cærimonia ac religio hujus diei Expiationis publicæ, et ingressionis cum Sanguine ante Thronum Dei, nihil commune habebat cum pompa triumphali, et lætissima festivitate Victoris, gloriose comparentis ante faciem Dei. Erat quippe dies humiliationis publicæ, luctui ac moerori profundissimo dicatus in quo universa Gens se exitii ream deberet agnoscere.

unâ cum suo Pontifice, qui item ut reus adhuc coram Throno debebat comparere, & Sanguinem Piacularem exhibere, cujus Virtute et se, et populum redimeret.

II. Alienissimus est a Gloria & pompa Triumphi Vestitus ille humilior, in quo Pontifex Maximus Sanctum Sanctorum ingredi debebat ex Sanctione Lev. XVI. 4. Praescribuntur ibi quatuor tantum linea Vestimenta, quum alias octo forent Ornamenta Pontificalia, quorum quatuor excellentissima auro, gemmis & variegatis Coloribus, magnifice et regaliter resplendebant. Sed omnis hicce Cultus Regalis isto die Solenniore Humiliationis & Expiationis erat deponendus, ita ut totus Lineus in Sanctuario compareret Pontifex: pura quidem illa, sed tamen humiliore Specie, quae conveniebat scilicet reo adhuc, & veniam reatus expetenti, vel potius eumdem virtute sui Sanguinis Piacularis delere paranti, atque eum in finem se coram Throno sistenti. Si quid in Antiquitate Hebraica certi, fundati, immoti, id sane huc omni ex parte convenit. Auctoritas nempe disertissima Scripturae, cum Traditione constantissima Talmudicorum, et Philonis Iudaei, atque Iosephi quoque testimoniis. Quum tamen V. DD. qui ingressum hunce Pontificis ex hypothesi referebant ad Ascensionem Xti in Coelos, viderent, ipsorum Sententiam non parum hinc debilitari, quin imo universim corruere, contrarium defendere ausi sunt, atque eousque sibi & suae hypothesi indulserunt, ut contenderint, Pontificem aureis Vestimentis in Sancto Sanctorum comparuisse. Hanc opinionem nunc non refutamus. Alibi id prolixe factum, quorsum jam remittimus. Et concludimus nunc modo, ad firmitatem IIdi nostri argumenti, quod Quaestionem hanc vel solum decidere valet.

Adeamus

III. Addamus tamen adhuc tertio gradu non minus validum ratiocinium, desumtum ex eo, quod ingressus Pontificalis in Sanctum Sanctorum factus fuerit tum, quum Expiatio needum erat peracta, sed cum maxime peragenda, & virtute Sanguinis Piacularis impetranda. Universa series Lev. XVI. hoc in omnium oculis ita defigit, ut ne umbra quidem dubitationis, ne minima quidem ansula exceptionis relinquatur. Ergo neutiquam nobis nunc cogitandum de adscensu glorioso Xti, quo Expiationem peractam triumphaliter obsignavit, et solenni pompa decoravit, ac promulgavit; sed de alio ingressu, de alia comparitione ad Thronum Majestatis, in qua hactenus personam rei sustinebat, atq a reatu sibi incumbente liberari debuit per plenam Satisfactionem. Accedit

IV. Quod quamdiu Pontifex Maximus in Sacratissimo Adyto versaretur, Sanguinem Piacularem oblaturus, universus Populus multo metu haeseret suspensus, et gravibus anxietatum fluctibus volveretur, ne forte per Majestatis Divinae inaccessum illud jubar consumeretur, atq Expiationem ad Thronum pro Parte sua non inveniret itidem consumendas, et fulmine Justitiae Divinae consumendas, ac feriendas. Character sane insignis, & multo eminentissimus, unde plane abhorret vulgatissima illa hypothesis, et cum quo unice conspirat id, quod nos tenemus, ingressum hunce Pontificalem incidere in ipsum articulum motis, quando Sanguinem Piacularem recentissime fusum in Penetralia Sacratissima Dei introtulit noster Mediator, tanquam comparens ad Thronum Majestatis ab una parte viris,

e poni-

& possidens vim Vitae indissolubilis, ab altera parte mortuus, et quidem mortuus, tanquam Paullum, qui morte sua Divinae satisfaciens Justitiae, simulque deleret eum, qui potentatum habebat mortis. Hoc erat illud tempus, ubi ex oculis ablatus Ecclesiae Pontifex a morte detentus, sub mortis videbatur redactus imperium, & ubi dubitabatur, an unquam a morte esset rediturus, et victor ac triumphator emersurus. Hoc ipsum

V. Intendit & inculcat optimus hujus Mysterii interpres ad Hebr. IX. 11, 12. quo Contextu usos vidimus supra, qui vulgarem sententiam fovebant. Tantum vero abest, ut ea hinc solide adstruatur, ut inde potius destruatur, si ad Apli scopum vite explanetur. Instituit enim collationem inter Pontificem V. et N. Testamenti, solennem expiationem procurantis, uno actu Pontificali, ostenditque, Veterem illum per sanguinem Hircorum & Agnorum ingressum in Tabernaculum manufactum, in Sacrarium umbratile; nostrum autem Pontificem per proprium sanguinem ingressum esse εἰς τὰ ἅγια loca Sanctissima, Tabernaculum Celeste, ubi Thronus Majestatis erectus, et ἐφάπαξ Semel, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενον invenientem, i.e. impetrantem aeternam illam Redemtionem, cujus aeternae virtute omnia expiaret. Magna cum fiducia negare possum, hanc descriptionem quadrare in gloriosum Xti adscensum, et contra affirmare, eam unice convenire in Comparitionem istam Pontificalem coram Throno Majestatis, quae incidit in ipsum mortis articulum, in illud magnum omnis Redemtionis meditullium, quando ὁ ἄνθρωπος Mediator

anim

animam suam in mortem profudit maledictam, atq; istum suum Sanguinem Sacratissimum intulit εἰς τὰ ἅγια in Coelestia Templo ante Solium Justitiae & Sanctitatis Divinae, ut illud ipso Cruore Expiatorio respergeret, imbueret, atq; in perpetuum consecraret tanquam Thronum Gratiae & Gloriae fidelibus inde dispensandae & impertiendae.

VI. Idem hocce arcanum Religionis supra omnem dubitationis aleam evehitur per aliam ratiocinationem Apostoli, Hebr. IX. 24. seqq. ubi quum dixisset, Xtum non ingressum in Sancta manufacta, sed in ipsa Coelestia, ut nunc compareret ante faciem Dei pro nobis. Iterum non agit directe de ingressu glorioso, sed de introitu per mortem, ut Expiationis pretium ibi sisteret, atq; ita Coelum, tum sibi, tum suis, aperiret: quod ipse suo jure conscenderet, et in quo tanquam Consummatus Mediator ad dextram Majestatis resideret per omnem Seculorum decursum. Huc tendit illa emphatica phrasis; νῦν ἐμφανισθῆναι, quae elliptica est, pro εἰς τὸ νῦν ἐμφανισθῆναι, sive eum in finem, ut nunc compareat, h.e. per omnem Temporum Seriem. Comparere autem non possit, nisi virtute mortis, & ingressionis Pontificalis cum proprio Sanguine ex morte redivivus Coelum gloriose iniisset; atq; ad dexteram Majestatis resedisset. Huc collineasse mentem Apostoli, luce meridiana clarius ex subnexo ratiocinio, v. 25, 26. Neq; ut saepius semet offerret, quemadmodum Pontifex ingreditur in Sancta per Sanguinem alienum quotannis: alioquin oportuisset eum saepius pati a jactis mundi fundamentis. Nunc vero semel in Consummatione Seculorum ad abolitionem peccati per Sacrificium sui ipsius manifestatus est. Clarissimis verbis id declaratur, quod nos docemus; umbratilem illum ingressum Pontificis Maximi die Expiationis publicae

implet

impletum esse illo die, quum Dominus noster semet ipsum immolavit, Sacrificio uno omnem Expiationem in aeternum procurans, et pro Seculis antegressis inde ab exordio Mundi, & pro Seculis post venturis usq ad ejus demo finem. Quod si praestare non valuisset unico actu Pontificali noster Mediator, saepius & repetitis vicibus semet immolare debuisset. Totum illud argumentum nititur hoc fundamento, quod ingressio Expiatoria Xti in Coelos in mediam ejus mortem incidat, atq ibi consumetur, quod per Pontificem veterem, ejusq ingressum εἰς τὰ ἅγια cum Sanguine, fuerat adumbratum. Mentem nostram

VII. Admirabiliter & illustrat & affirmat insignis locus ad Hebr. X. 19. sqq. ubi iterum Comparatio & oppositio instituitur inter Pontificem V. et N. Ttmti, cum manifestissima allusione ad ingressum Pontificis in Sanctum Sanctorum cum Sanguine Expiationis. Verba ab Interpretibus non satis ad Scopum directa, atq adeo non satis intellecta, dignissima sunt, quae in pleniore luce collocentur, ut ita magnum hocce Mysterium nostrae Fidei tanquam in meridie luceat: Habentes igitur Fratres fiduciam ad ingrediendum in loca Sanctissima in Sanguine Jesu via, quam nobis initiavit, recenti & viva, per Velum, i.e. per Carnem ejus, &c. Toto Coelo abitur ab eo, quo Apls collineabat, quando Caro Xti exponitur Humana ejus Natura, introducta in Coelestem Gloriam, per quam nobis quoq via recens & viva sit patefacta ad eandem gloriam. Nihil profecto alienius ab emblemate Veli, τοῦ καταπετάσματος, quod olim Sancto Sanctorum erat praepansum, & quod figurabat memoriam extantis adhuc

peccati

peccati, quod liberum introitum in intimam Dei Communionem praecludebat. Hocce καταπέτασμα Velum scindendum erat per Crucifixionem Messiae, ut ita Corpus peccati aboleretur. Denique Velum tum revera fuit scissum, quum noster Pontifex semet in Cruce immolavit, et maledictionem Legis pro nobis exantlavit, cujus signum & indiciumque praebuit illius materialis Veli conscissio sub ipso articulo mortis Xti. Huc ergo Apostolus aciem suam dirigit & intendit, quum ait: Pontificem nostrum nobis initiasse viam recentem & vivam per Velum, i.e. per Carnem suam, Velum nempe conscissum illud in Cruce, & Carnem ibi simul sub Maledictione nostra confractam, omnibusque plagis Divinis confectam, ut ita memoria omnis peccati deleta atque abolita, liberrimus introitus concederetur ad proximam cum Deo Communionem & familiaritatem tum in gratia, tum in gloria exercendam.

Sic jam tandem luce meridiana clarius splendet id, quod supra aliquoties inculcatum, ingressionem Pontificalem nostri Domini in Sanctum Sanctorum non esse collocandam in glorioso illo introitu, quo Victor ac triumphator Mortis ac peccati Coelestes sedes conscendit: sed in illa expiatoria comparitione coram Solio Majestatis, Justitiam & Sanctitatem suam vindicantis, quae immediate sequuta est mortem nostri Mediatoris. Ubi jam removendus nobis est gravissimus scru- +
pulus, qui non tantum imperitioribus hic occurrere posset, sed etiam peritiores offendere. Non satis enim concipitur distincte, quomodo Xtus mortuus considerari possit tanquam ingressus in Sanctum Sanctorum, i.e. in Coelum, & comparuisse ad Thronum Majestatis ibi constitutum. Objectum mihi

fuit certe a Summo quodam Theologo, non satis constare,
an anima Xti post mortem Coelos intraverit, quamvis di-
xerit: <u>hodie mecum eris in Paradiso</u>. Hoc pendet ab illa Quae-
stione, quae inter Theologos agitatur, num Paradisus & Coelum
tertium sint unus idemq locus? Quod quamvis multi fidenter
assererent, neutiquam pro evidenti & demonstrato est habendum.
Sic quidem huic Objectioni aliqua videri posset subesse
Species, sed illa mox evanescet, si modo attendatur, non debere
hanc Comparitionem cum Sanguine recenter effuso, & ani-
mae in mortem piacularem profusae, tam scrupulose spectare,
ut clare ad loca & Spatia attendatur, aut ut credatur,
anima egisse Pontificem. Nihil minus Theologicum. Pontifi-
cem egit θεάνθρωπος Deus & Homo simul, vivens in media
morte, & animam tanquam Sanguinem sistens coram Throno.
ubi jam quivis statim cernit, hanc esse actionem plane Di-
vinam, quae inter Personas Divinas fuit transacta, modo in-
finitum quantum supra Captum nostrum subvecto. Nec jam
debere spectari, ubi locorum fuerit anima Xti: hoc enim
nihil ad rem facit. Sed tantum considerari debere, animam
simul & Corpus & per necem piacularem sub maledictione,
illud quidem Sepulchro mandatam, illam a Corpore expul-
sam, & peccato nostro hactenus onustam: ut ita magnum
illud pretium nostrae Redemtionis Deo Patri persolveretur,
& ipsi Iudici ac Vindici legis Majestatis in plenum appro-
baretur: ut Peccato penitus expuncto victor ac triumphator
mortis rediret Dominus, atq plenissimo jure Coelestia Templa
quae sibi sua morte patefecerat, redivivus & gloriosus occuparet.

CAPUT VII.

§. III.

DE NOVO ANNO.

Solennitas Novi Anni Clangore Buccinæ erat promulganda. Rationes varias, ob quas Buccina personuerit ex mente Judæorum, exponit hoc §. quas obiter illustrabimus, ut inde ansa porrigatur ad altiorem Contemplationem.

I. Est, quod per huncce Clangorem læta libertas fuerit promulgata. Hoc statim se se refert ad libertatem illam Filiorum Dei, quæ sub Novo Anno Gratiæ per buccinam Evangelii omnibus annunciaretur.

II. Ratio, petita a liberatione Isaaci et substitutione Arietis in locum, est argutior & plane Rabbinica, nixa fundamento levissimo, quod Cornu Arietino buccinatum fuisse contendant. Quod nec probatum, fundatumve; nec, si foret, hanc Veritatem adstruere valeret. Hunc itaq; vanioris ingenii lusum mittimus, atq; ad

III. Accedimus rationem, desumtam a Legislatione, quæ & ipsa inter Clangorem Buccinæ pronunciata, Exod. XIX. 16. Hoc iterum sponte ducit ad Novum Annum Evangelicum et Legem jam non e monte Sinai, sed ex Sione exituram, atq; universum orbem Terrarum personituram.

IV. Subnectitur a Dei imperio, & Regno Messiæ: quæ quum ad I. rationem ultro decurrat, ejusq; amplificationem tantum contineat, ulteriore illustratione non indiget.

V. Respiciens Resurrectionem ex mortuis habet aliquid pro-

profundioris Considerationis, quod meretur expendi. Traditur np. in Talmude, quum Novo Anno Clangor Buccinæ omnium aures insonaret, simul eundem intonuisse
„ veluti in mentes: Excitamini ô Dormientes, et quicunq
„ Sopore ac Somno Peccati jacetis veluti Sepulti, evigilate
„ & convertimini, ut Gratia vobis illucescat. Sunt eadem fere verba, quibus usus Apostolus Ephes. V. 14. quapropter dicit; evigilate vos, qui dormitis, et excitamini e mortuis, atq Xtus vobis allucebit. Quærunt Docti Interpretes, ubinam
„ illud dictum sit in Sacris: nam ista quidem Verborum Com-
„ plexio nuspiam nunc reperitur. Hinc non sine Specie veri judicatum a quibusdam, Apostolum respexisse hanc ipsam Catechesin Judaicam, secundum quam ad Clangorem Novi Anni jubebantur omnes evigilare, et in novitatem Vitæ excitari. Addenda adhuc

VI. Ratio, quam Auctor noster non tetigit, præcedenti affinem & innexam. Iterum hic Traditio Talmudica promenda cum suis phaleris et ornamentis. In Codice np. Novi Anni
„ traditur, Deum Calendis Novis cujusq Anni solenniter
„ pro Tribunali residere, atq omnes homines judicare. Hoc ibi paucis perstrictum, amplificatur in Gemara hunc in
„ modum: Dixit Rabbi Iochannan, ineunte Anno tres
„ aperiuntur Libri, unus pro iis, qui ad impietatis Culmen
„ pervenerunt, alter pro iis, qui Consummati & perfecti Justi,
„ tertius pro mediis. Consummati & perfecte Justi statim scri-
„ buntur ad Vitam: qui desperatæ sunt malitiæ, desig-
„ nantur ad mortem: mediorum Caussa ad diem Expia-
„ tionis publicæ differtur. Hisce ab aliis adhuc adjun

gitur

adjungitur, istud Iudicium in Coelis celebratum fuisse inspiciente Panegyri Angelorum. Qua occasione quibusdam nostrorum Philologorum in mentem venit; illuc forte allusum ab Apostolo Hebr. XII. 20.22. ubi item introducitur Deus Iudex omnium inter Myriadas Angelorum, et Spiritus Iustorum Consummatorum. Sed nimium saepe tales Scintillulae pro vera luce excipiuntur, atq oculos perstringunt minus firmorum tales subtilitates, quae felicius excussae ultro evanescunt. Nam quod Talmudici tradunt, toto Coelo est diversum ab eo, quod intendit Apostolus. Illi enim pro suo Systemate per Consummatos et perfecte Iustos intelligunt in hac mortali adhuc Vita degentes, qui propter Iustitiam illam suam jam promeruerint Coelestem Gloriam: quum Apostolus intelligat animas Fidelium Veterum jam in Iustitia Xti consummatas, atq ad Panegyrin Coelestium evectas, ut cum Angelis unam Coelestem constituant Civitatem, ad cujus Communionem interiorem et nos nunc admissi sumus.

CAP. VIII.

CAPUT VIII.

§. X.

DE SABBATHO.

Vocabulum Sabbathi ultimis temporibus pro Hebdomade quoque positum fuisse, dubitari nequit. Exemplum eminens Luc. XVIII. 12. jejuno bis quoque Sabbatho, δὶς τοῦ σαββάτου. Similiter in Scriptis Talmudicis. Atque inde receptissimus mos numerandi, quo unus vel primus in Sabbatho vocabatur Dies noster Dominicus, quemadmodum sequens secundus in Sabbatho, atque ita porro appellabatur. Quo stylo etiam Apostolus μία τῶν σαββάτων usurpavit pro primo die Hebdomadae. An idem usus jam obtinuerit tempore Mosis, merito addubitatur. Contendebant id Traditionarii, sive Pharisaei, negabant Karraitae, sive Scripturarii, ad Sanctionem Lev. XXIII. 15. 16. quae lata est circa diem Pentecostes, quae secundum Karraeos semper incidere debebat in diem primum Hebdomadae, quae immediate sequeretur diem Sabbathi: cum Pharisaei pugnarent, eum posse incidere in quemcunque diem Hebdomadis. Ea Quaestio copiosius tracta ab Auctore nostro, CAPITE IV. §. III. IV. Clariss. Coccejus vocabulum Sabbathi similiter pro Hebdomade venire censet 2 Reg. XI. 5. Mihi quidem gravis sedet scrupulus, & magis assentirem illis, qui & in illa Sanctione, et in posteriore etiam Contextu, Sabbathum strictius dictum in-

tellig

strictius dictum intelligunt. Quum autem alibi ad LIB. II. de hocce Sabbatho ea disseruerim, quae huc transferri poterunt ad lucem necessariam praebendam, compendifaciam operam, atque de Sabbatho ANNORUM potius agam ad §. XIII. sqq. ut duas materias insigniores queamus absolvere Anni hujus Cursu, atque in Iubileo, qui erat orbis completissimus Annorum Sabbathicorum, commode finire.

§. XIII.

Circulus septem Annorum efficit, quod vocamus Heptaëterides. Ultimus eorum honorabatur titulo Sabbathi, & quidem Sabbathi Terrae, Lev. XXV. 6. quum universa Terra Sancta requiescebat una cum suis incolis, atque ab omni onere, imperio, jugo, nexu, elaxabatur, atque respirabat, ut repraesentaretur illa laeta facies & conditio omnium personarum & rerum, quae libertatem Filiorum Dei in regione libera ornaret atque coronaret. Hinc ducta appellatio ita Sequatior שְׁמִטָּה intermissionis, vel potius remissionis, Deut. XV. 1, 2. 9. & XXXI. 10. & Lev. XXV. 2. ubi LXX. commodissime dederunt ἄφεσιν: radix enim שמט secundum originem suam designat Solutionem, & quidem laxissimam, qua aliquid ita e manu emittitur, ut totum sit et maneat sui juris. Sic declarant Philologi Arabum, et sic exempla Biblica eandem vim exprimunt, tum proprie, tum figurate. In figuratione insigni cum allusione ad ritum Anni Sabbathici occurrit Ier. XVII. 4. ubi abstrusior sensus ex

anceps

ex ancipiti usu Verbi impedivit Doctissimos Interpretum:
dicitur enim de Gente in exilium pellenda; נִשְׁמַטְתָּה & habebis
ἄφεσιν, וּבְךָ & quidem in te ipso, ex hereditate tua, i.e. ex
Sedibus Terræ Sanctæ. Sententia gravis, quæ ita paucis enu-
cleabitur a nobis: qui noluisti Terræ Sanctæ dare suam
ἄφεσιν, suam illam relaxationem & respirationem, quam San-
xeram circulis Sabbathicis, ipse habebis ἄφεσιν a me, &
a me expulsus e tua possessione, quoto pedes ferent exul &
vagabundus. Ubi jam apparet duplex potentia nostri Verbi, al-
tera in Dextram, altera in Sinistram tendens: quemadmodum &
apud Latinos Solutum laxare, et bonum & malum potest in-
ferre. Ista autem mala laxatio, quæ cum alicujus lapsu &
ruinas conjungitur, sese offert 2 Sam. VI. 6. Ps. CXLI. 6. 2 Reg. IX. 33.
Relaxatio in Bonum, sive Solutio Vinculi & nexus, conti-
nebat religionem hujus Periodi Sabbathici. Ubi

I. Se Se offert ipsa Terra libera ab imperio Agricolationis
Exod. XXIII. 10, 11. et Lev. XXV. 3.

II. Omnium Debitorum & nominum remissio Deut. XV. 1, 2.
ubi ambigitur circa phrasin, a fine Septem annorum.
Illiberalior est interpretatio Iudæorum, nimis tenentium, istud
vocabulum finis, quasi finitus annus Septimus innu-
eretur. Res ipsa & ratio postulant liberaliorem Sensum,
qui designet ipsum anni initium: est enim Solennis
Hebraismus, per quem a fine tot dierum vel annorum
valebat eorundem adventum: ut quum puerulus jubetur
circumcidi a fine octo dierum, et Servus manumitti
a fine Septem annorum, postquam Sex annos Servi-
isset, Jer. XXXIV. 14. Deut. XIV. 28. & XXXI. 10.

III. Beneficium hujus circuli Sabbathici in relaxatione

nexu

nexu Servitutis, ut qui sub jugo essent, in libertatem filiorum Dei, qui titulus erat Populi Israëlitici, exirent. Hoc quantam habuerit religionem, dignitatem, ac Sanctimoniam, inculcatur eodem loco Ier. XXXIV. 14. ubi ideoquoq judicia gravissima Dei incubuisse in Terram & incolas ejus denunciatur, quod Servitutem servire coegissent, quos Lex liberos exire debuisse sanxerat, prout illud sancitum Exod. XXI. 2. Ubi iterum Quæstio exsurgit, quam Auctor noster quoq attingit,

§. XVII.

An ibi hocce liberatio Servorum vindicetur anno Sabbathico & sacro orbi ejus; an vero Septimus ille annus sit quicunq tandem, qui incideret post sex annos Servitii? Posterius hocce visum Iudæis, visum quoq multis nostrorum, etiam Clariss. Auctori nostro. Si interim attendamus ad seriem ipsorum Contextuum, facile animadvertimus, digitum ibi intendi in annum Septimum religiosum, qui absolute & iam vocabatur שְׁבִיעִית, cujus ob dignitatem & Sanctimoniam omnia vincula debebant dissolvari. Iam vero ex sententia illa praecedenti consequeretur, Debita quidem fuisse remissa, & æs alienum expunctum; sed homines in Servitutis nexu potuisse retineri, quod videtur repugnans. In-

Interim nostrequoq opinioni repugnat, quod Servi in libertatem demum asserantur, postquam sex annos servissent. Iam vero fieri potuit, ut aliquis sub servitutem tantum cecidissent biennium, triennium, quadriennium ante Periodum Sabbathicam. Ad quam difficultatem levandam observamus, Sanctionem Mosis non permittere Servitutem ultra sexennium continuatam, Anno Sabbathico omnia Vincula rumpente & depellente. Qui ergo se in Servitutem mancipabant, non poterant se se vendere ultra sexennium. Qui autem intra brevius spatium, quum jam annus unus alterve effluxisset, se se divendebant, tamen ultra terminum Sabbathicum se se non poterant nexui Servitutis tradere. Ac propterea talita semper erat Conditio, Servitutem non ultra annum Sabbathicum excursuram, quae ipsa Conditio pretiaquoq se se vendentium temperabat atq figebat. Hanc esse genuinam mentem Legislatoris dubitare non patitur praeterea, quae jam diximus, illa Sanctio insignior, Exod. XXI. 6. ubi statuitur, ut Servus, qui libertatem Anni Sabbathici nollet amplecti, deduceretur ad magistratum, atq auriculam sibi pertundi pateretur ad januam vel postem Domus perpetuo nexu Servitutis addicendus, atq nota publica servilis indolis afficiendus. Inde jam statim dilucere incipit, non adeo fundatam esse applicatio

ℵ. Applicationem illam vulgarem, qua hæc Sanctio ad Dominum Messiam refertur, qui Voluntariam Servitutem sub Lege subierit, amore sui Domini, suæq Domus. Hæc enim prima fronte quamvis videantur convenire; magnopere tamen disconveniunt, si penitius introspiciantur. nps. Domus illa Servilis, si Typice explicetur, non potest esse alia, quam Oeconomia V. Testamenti, cui affixa natio Iudaica, & propter amorem Carnalium Bonorum apparatu velati, libertatem Filiorum Dei per Annum Sabbathicum N. Testamenti affulgentem sprevit, una cum suo Messia, atq ita promeruit, ut nota publica Ignominiæ, sive Ignominiosæ Servitutis, a Deo inureretur, auricula ad postem hujus Domus servilis, et gravis jugi Cærimoniarum, in perpetuum affixa: quemadmodum miseram Gentem etiamnum hodie contemplamur. Sic sponte corruit

ℶ. Interpretatio illa, quæ nimium placuit Viris Doctis Ps. XL. 7. in magnifico illo Contextu: aures perforasti mihi: quasi ibi Dominus Messias palam alluderet ad perforatam auriculam servi Hebræi. Iterum prima species fefellit. Penitior inspectio meliora poterit docere. Omnis enim phraseologia inde divertit, et sensum alium deposcit.

α. Notabilis certe differentia, quod hic ambæ aures memorentur, quum ex Lege una tantum auricula pertundenda erat. Sed hoc levius. Gravius

β. Quod non adhibeatur Verbum illud Legale, huic ritui dicatum, רצע pertundere Subula, sed כרה

effodere

Fodere, fodiendo repurgare, speciatim rivum, vel puteum, limo obstructum. Unde insigni Metaphora, aures ambas effodere alicui, est easdem repurgare, aperire, excitare, ad promptissimam Obedientiam: quemadmodum illae Phrases occurrunt, Esa. L. 4, 5. itidem de Messia. Specialius attenditur in nostro Psalmo illa Spiritus Sancti unctio, qua Dominus noster perfusus sine mensura, gerebat aures purgatissimas ad interiorem sensum Legis Divinae, quae dies noctesque interiora ejus praecordia penetrabat, eumque stimulabat ad magnum illud Sacrificium Redemtionis, et munus Salutis, quod in se susceperat, adimplendum. Haec jam conjuncta cum iis, quae supra attigimus, ambigere non patiuntur, quin pertusio ista Servilis Auriculae longe diversum quid figuravit: tristem nempe Servitutem, cum maledictione Legis, quam etiamnum servit Gens Hebraea, spreto Anni Sabathici munere, atque beneficio.

§. XVIII.

DE ANNO IUBILAEO.

§. XVIII.

Commodissime Auctor noster ab Anno Sabbathico pergit ad Iubilaeum, quem jure appellaverim magnum Sabbathicum. Habet enim eandem plane Caerimoniam ac religionem: nisi quod omnia hic ampliora sint & illustriora, Septies septenum efficiens Circulum Sanctiorem. Ut memoriae serviamus, I. Delibabimus aliquid de Etymo. II. justum & legitimum tempus finiemus. III. perstringemus Beneficia Anni Iubilaei. IV. Cumulum imponemus per Spiritualem applicationem.

I. Circa primum ingens est fluctuatio.

A. Vetus est opinio, a Rabbinis jam olim prodita, vocabulum יוֹבֵל notare arietem, quod Ios. VI. 5, 6. Paraphrastes Chaldaeus קֶרֶן הַיּוֹבֵל reddiderit Cornu Arietis. Ista Significatio in Bibliis quum non exstaret, praesidium ei additum ex Dialecto Arabica: nam ut in Codice Talmudico, Rosch Haschana, Cap. III. fol. 26. extat; Rabbi Akiba testatus est, se, quum per Arabiam iter faceret, audivisse Arietem appellari يوبلة. Hinc jam volunt, magnum hocce festum nomen traxisse Lev. XXV. 10. 13. quod promulgaretur buccina, e Cornu arietino confecta, mirifice sibi indulgentes in eo ipso Cornu Arietis, & mysteria captantes parum solida. Ut primum merito suspectum habuerint hocce Etymon Viri Docti. Praesertim quoque, quod iste usus Arabum

neut

neutiquam compareat, ac propterea pro Commento Rabbinico haberi debeat. Explosum speciatim a Bocharto Hieroz. P. I. Lib. II. Cap. 43. ubi & Rabbiano occasionem figmenti aperit.

B. Josephus Jubileum exponit ἐλευθερίαν, quemadmodum & LXX. ἄφεσιν dedere. Hi magis spectarunt Beneficium Anni hujus, quam Veriverbium.

C. Plurimi nostrorum respiciunt in יוֹבֵל jubilationem, i.e. Clangorem buccinae: sive radix יבל directe notaverit jubilantem ipsum Sonum; sive eundem adoptaverit ex Nomine Proprio יָבָל Gen. IV. 21. inventoris Musices. Haec interim parum certa.

D. Alii suspicionem movere, Annum huncce nomen potius accepisse a יבל, quatenus in se continet vim adducendi, vel reducendi, quippe qui reducat omnia in pristinum Statum.

Latuit scilicet vera Origo, thematis, cujus genuina indoles sita in frequentatione, sive frequenti pulsu, impulsu, comitatu, pompa, atque adeo Solennitate celeberrima, quae per Metonymiam inde surrexit ultro: quemadmodum in Graeco Πέμπειν, cum sua Πομπῇ. Ubique locorum Species Hiphil, הוֹבִיל, istam potentiam exerit; cum pompa adduxit, vel deduxit. Unde שְׁנַת הַיּוֹבֵל Convertere sit, Annum pompantis, sive cum pompa & laetitia solennissima prodeuntis.

II. Membrum nobis se offert, cum magna & difficili Quaestione Chronologica conjunctum: dum alii Chronologi tendant

dant

tendant pro Anno Quadragesimo nono; alii autem pro Anno Quinquagesimo.

N. Tenet princeps in Chronologia, Iosephus Scaliger, eumque sequuti Sethus Calvisius, Petavius, Usserius, Spanhemius, Hejdeggerus. Argumenta, quae hanc aciem firmant, valida sunt.

αα. Petitur ex numero Septenario, qui Sabbathicus, et Sacer proinde. Illa autem sacratissima religio non incidit in quinquagesimum, sed in quadragesimum nonum Annum.

ββ. Cum eo connexum insistit in Beneficia & munera Cyculi Sabbathici. Ex quo consequeretur, si quadragesimus nonus non fuisset Iubilaeus, plus beneficii redundasset ex quadragesimo nono, quam ex quinquagesimo. Hoc patebit ex collatione, quam instituit Maimonides, cum reliqua gente sua eam fovens opinionem, Iubilaeum fuisse quinquagesimum. Habet illud, inquit, Annus Sab- "
bathicus prae Iubileo, quod debita remit- "
tit: Iubileus autem prae Sabbathico, quod "
servos e Dominorum potestate liberat, & "
agros restituit. Etiam hoc discrimen est, "
quod quinquagesimus Annus in principio "
restituit agros: Sabbathicus vero debita non "
remittit, nisi in fine. Posterius illud, quo "
sententiam suam colorare nititur, falsissimum est, nam Sabbathicus debita etiam

remitt.

remittebat statim, atq inceptisset. Liberabatquoq Servos, exceptis iis, qui Servili pectore sub jugo remanere maluissent. Ac propterea vix quidquam relinqueretur Anno quinquagesimo, præter unicam restitutionem agrorum. Unde jam apparet, si quadragesimus nonus non fuisset simul Iubilæus, Iubilæi decus multimodis per Sabbathicum præflorari debuisse.

γγ. Argumentum desumitur ex conturbatione temporum, & ratione Computandi, per annos Sabbathicos plane confundenda, si post Septem Periodos Hebdomadales annorum interponendus foret Iubilæus. Quod apud Summos illos Chronologos latius deductum reperietur.

δδ. Denique instatur ex incommodo gravi, quod concursus duorum Sacrorum Annorum parere debuisset.

Ɔ. Fatendum interim, non nimis speciosa esse argumenta in altera acie, quæ contendit pro Anno quinquagesimo. Ut enim jam mittam auctoritates Philonis Iudæi, Iosephi, Rabbinorum omnium, ita Sancientium, cum Philologorum nostrorum densa phalange.

αα. Nihil clarius, nihil præcisius videtur Textu Lev. XXV. 8—11. ubi series ita ordinatur, ut post septimum Circulum Sabbathicum annorum promulgandus dicatur Annus Iubilæus.

ββ. Præ-

bb. Praesidium addit huic opinioni analogia aliorum Festorum, ut Pentecostes, qui haud dubie fuit dies quinquagesimus post septeno hebdomadas sive Sabbatha septena. Similiter festum Tabernaculorum, septem dies concelebratum, claudebatur ac coronabatur quasi octavo die, omnium solennissimo.

cc. Robur circumdat Lev. XXV. 11. non seres hoc anno, nec metes, nec vindemiam colliges. Illa sanctio plane supervacanea fuisset, si Iubileus incidisset in annum quadragesimum nonum: quippe qui Sabbathicus per se, ita jam religione tenebatur non serendi. &c.

Qui hoc expendet, paria ferme deprehendet pondera ac momenta, quae judicium in materia spinosiore ferme suspendere cogant. Forte media via tutissime itur. np. Duplex fuit Annus Iudaeorum, alter Ecclesiasticus, alter Politicus. Anni Sabbathici haud dubie erant Ecclesiastici: Iubileus haud dubie Politicus potissimum, quippe qui institutus ad possessiones omnibus Familiis constabiliendas, quemque restituens in agros, forte alienatos ac divenditos, ut sic facies totius Terrae in integrum renovata assereretur, atque immutabili sede quasi permaneret. Iam vero Annus Ecclesiasticus incipiebat a mense Nisan, sive ferme Martio nostro; Civilis a mense Tisri, sive Septembri.

Ergo jam Annus Sacer sex menses duraverat ante, quam Iubileus posset iniri. Ac proinde mirum non est, hunce tanquam quinquagesimum considerari, revera hoc adspectu distinctum quadragesimo nono Sabbathico, quamvis etiam cum eodem concrescat et coalescat in unum continuum Corpus, nisi quod Sabbathico cumulum superimponat, longius excurrens, & Beneficia Beneficiis novis coronans. Illa jam Beneficia

III. Nostrum constituebant membrum, ubi brevioribus nobis esse licebit: quandoquidem ea jam recensita, quum de Annis Sabbathicis ageremus. np. Quies Terrae; Debitorum remissio; Servorum liberatio. Ad hoc posterius ponitur Scrupulus: num Servus ille Voluntarius religione Anni Iubilaei fuerit exsolutus e sua Servitute? Hoc postremum nobis quidem verisimillimum. Atq hoc accessio dignitatis Iubilaei ultra Sabbathicam virtutem se se extendens, quemadmodum insignem ei Coronam imponebat revolutio agrorum, possessionumq ad Veteres Dominos. Ut proinde hic jam habeamus pro

IV. Nostro membro completissimam picturam omnis Quietis, Libertatis, Laetitiae, et cumulatissimae munificentiae, qua tandem sub fine dierum

Eccla

Ecclesia beabitur: quum Circulus Septies Septenus Novi Testamenti, sive administrationis Evangelicae claudetur, cumulabitur, & coronabitur Magno illo Iubilaeo, qui faciem totius Terrae renovabit, atq LIBERTATE & GLORIA Foederatorum Dei condecorabit.



FINIS ANTIQUITATUM HEBRAICARUM

